SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA — TOMUS CI

DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

IN APOCALYPSIM, ACTUS ET EPISTULAS CATHOLICAS

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI, H. HYVERNAT.

SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS CI

DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

IN APOCALYPSIM, ACTUS ET EPISTULAS CATHOLICAS

INTERPRETATUS EST I. SEDLACEK

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS
CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCX

IN APOCALYPSIM IOHANNIS.

*DEUM INVOCAMUS IN AUXILIUM NOSTRUM, UT SCRIBAMUS PARTES EX INTERPRETATIONE REVELATIONIS IOHANNIS; PERPAUCA QUIPPE INVENIMUS E LABORE PRIORUM, PLURIMA VERO E DONO NOBIS A DOMINO DATO ILLUSTRAVIMUS. INCIPIMUS IN ADIUTORIO DOMINI NOSTRI ET DEI NOSTRI. p. 3.

Postquam enim absolvimus expositionem Evangelii, o frater noster, fuse et lucidissime, parati sumus aggredi explicationem Apocalypsis Iohannis evangelistae. Vos autem lectores, cum incitatoribus petitionum spiritualium, orationes emittite pro Dionysio peregrino, ut et vos sanemini.

Initio sermonis dicimus multos magistros dubitavisse de Apocalypsi Iohannis et dixisse eam ipsius non esse. Et hoc exponit Eusebius Caesaraeensis in libro eqlīsīasṭīqī seu Historiarum ecclesiasticarum[1]. Dicit enim Dionysius, episcopus Alexandriae: Apocalypsis non est Iohannis apostoli, sed Iohannis alius, presbyteri, qui habitabat in Asia; nam non est similis typus, id est species sermonis, Evangelii et Apocalypsis. Et Iohannes nullibi in Evangelio commemoravit suum nomen; hic vero, initio et fine Apocalypsis posuit nomen suum. Et a Domino nostro accepisse revelationem eum, qui eam scripsit, profitemur. Irenaeus episcopus et Hippolytus Bosrae dicunt Apocalypsim Iohannis evangelistae esse et sub finem regni Domitiani ipsi revelatam esse. Etiam Eusebius Caesaraeensis his assentit et statim dicit: Si quis non admittit Apocalypsim esse Iohannis *apostoli, evangelistae, dicimus: ergo est Iohannis presbyteri, qui tempore Iohannis apostoli extitit. Et duo sunt sepulcra in Asia, unum evangelistae et alterum Iohannis presbyteri. p. 4.

Hippolytus Romanus dixit: Apparuit vir, nomine Caius, qui asserebat Evangelium non esse Iohannis, nec Apocalypsim, sed

[1] Cfr. lib. VII, cap. xx.

Cerinthi haeretici ea esse. Et contra hunc Caium surrexit beatus Hippolytus et demonstravit aliam esse doctrinam Iohannis, in Evangelio et in Apocalypsi, et aliam Cerinthi.

Ille quidem Cerinthus docebat circumcisionem, et iratus est in Paulum, quod non circumciderat Titum, et vocat apostolum eiusque discipulos in quadam e suis epistulis « apostolos falsos et operarios fallaces ». Docebat etiam mundum ab angelis creatum esse: et non e virgine Dominum nostrum natum esse, et cibum et potum materiales [1], et multas blasphemias.

Evangelium et Apocalypsis Iohannis mentem Scripturarum sequuntur; ergo mendaces sunt qui dicunt Apocalypsim non esse Iohannis apostoli. Nos autem Hippolyto assentimur. Etiam Iohannis evangelistae esse Apocalypsim testatur s. Cyrillus, et Mār Severus et omnes Doctores qui adducunt testimonia in libris suis, sed etiam Theologus in oratione valedictoria [2] ab eo adducit argumentum et dicit: « Quemadmodum docet me Iohannes per revelationem suam: ' Auferte viam populo meo; et hos lapides '..., cum « lapides » haereticos et doctrinam eorum vocat.

[Caput primum].

v. 1) *Revelatio Iesu Christi* et cetera; hoc est: abhinc incipit (exponere) quod ipsi revelatum est in visione, de illis quae ventura sunt. *Servo suo Iohanni*: h. e. commemorat
p. 5. nomen suum in Apocalypsi, ut credibile sit quod vidit *; in Evangelio non commemorat nomen suum, quia hoc ibi non erat necessarium, nam omnes apostoli testabantur quiquid fecerat Dominus noster.

v. 4) *Iohannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia*; h. e. per « ecclesias » urbes indicat; et vocat eas « ecclesias » propter praestantiam virorum electorum, qui in eis sunt. *Septem* dicit, quia numerus septenarius sollemnis erat apud Hebraeos et in Scripturis, et septem dona unius Spiritus ad unam ecclesiam perveniunt.

Hippolytus dicit: « Scribens septem ecclesiis scripsit, sicut Paulus epistulas suas tredecim septem ecclesiis scripsit ». Illam

[1] Alludit ad millenarium. — [2] συντακτήριος. *Patr. gr.*, XXXVI, 469. Cfr. Is., LXII, 10 (LVII, 14).

« ad Hebraeos » non existimat esse Pauli, sed fortasse Clementis.

Ab illo qui est et qui erat: h. e. indicium est Iohannis apostoli esse (librum); ita enim scripsit in Evangelio: « In principio erat verbum » et cetera. Verbis « qui est » indicat Deum. *Et a septem spiritibus*: h. e. operationes Spiritus indicat.

v. 5) *Et a Iesu Christo*; h. e. filius incarnatus. *Ipse primogenitus mortuorum*: i. e. qui primus surrexit in carne in incorruptibilitatem.

v. 8) *Ego sum* Alef *et* Taw; h. e. initium et finis. *Qui est et qui erat et qui venit*: h. e. tria tempora exponit. Est Deus hodie et heri et in saecula, secundum verbum apostoli [1]. *Est*: tempus praesens, et *erat*: tempus praeteritum, et *venit:* tempus futurum significat; cum Deus sit supra tempora et spatia et momenta.

v. 9) *Fui in insula Patmos*: i. e. apostolum eiectum fuisse in insulam Patmum omnes libri testantur; et etiam epistula, quam ei ibi scripsit Dionysius Areopagita. * *Propter verbum* p. 6.
Dei; i. e. propter fidem.

v. 10) *Fui in spiritu, in die dominica*; i. e. dominicam vocat primam diem hebdomadis, quia in illa Dominus noster e sepulcro surrexit, et in ipsa descendit spiritus super apostolos, et in ipsa creata est creatura, et in ipsa orietur Dominus noster.

v. 11) *Septem ecclesiis, Epheso, Smyrnae,* et cetera; i. e. urbes illae erant in regione Asiae; initio eas appellavit ecclesias.

v. 12) *Vidi septem candelabra aurea*; h. e. candelabra vocat ecclesias illarum civitatum. Sicut candelabrum dat lucem habitatoribus domus, ita et ecclesiae illuminant doctrinis suis populos qui iacent in peccato.

v. 13) *Indutus podere*; i. e. pedes tegente et completa seu veste quae descendit usque ad pedes. « Podere » ephod appellat Syrus.

Filius hominis; h. e. Verbum Deus caro factum vocatur hoc nomine secundum quod factum est. Iam appellatum est filius hominis, cum sit Deus, quia factum est homo sine mutatione.

[1] *Hebr.*, XIII, 8.

Appellatum est rursum filius hominis, quia fuit filius illius hominis novi, qui fuerat ante transgressionem mandati, nam corpus et animam, qualia habebat Adam ante transgressionem mandati, assumpsit Verbum, cum incarnatum est.

Et cinctus iuxta mammas suas zona aurea: h. e. « mammas » vocat duo testamenta. « Zonam », seu cingulum, vocat populos; sicut cinctus renes cingit vestimenta, ita et Christus vinxit amore suo illos qui credunt veritati ejus.

v. 14) *Oculi eius sicut flamma*; h. e. « oculos » operationes Spiritus sancti vocat.

v. 15) *Sicut aes libanicum*; hoc est autem: mysterium patrum figuratur in « pedibus », qui robusti sunt in operibus sicuti aes. *Et vox eius sicut vox aquarum multarum*; h. e. per « vocem » designat doctrinam eius assimilatam aquis, secundum illud: Flumina aquarum vivarum fluent de ventre eius[1].

p. 7. v. 16) **In manu sua dextera septem stellas*; h. e. septem administratorii spiritus, qui sunt in eius potestate, quasi in manu eius: candelabra ecclesiarum. *Et ex ore eius gladius acutus*; i. e. verbum divinum, quod in malos gladio acutius est. *Et facies eius sicut sol*: h. e. bonis apparebit in vultu glorioso et mansueto.

[Caput II].

v. 1) *Angelo, qui in ecclesia, quae Ephesi est, scribe*; h. e. administratori Ephesiorum et congregationi eius notum fac, quamvis sint patientes et redarguant malos, tamen brevi defecturum amorem eorum erga Deum.

v. 5) *Unde cecidisti?* i. e. animadvertite in quali honore vos initio fuistis, et agite poenitentiam ut denuo surgatis in pristinum gradum. *Et movebo candelabrum tuum*; i. e. si non convertatur populus, seu ecclesia quae est candelabrum, a malo, proiicietur a facie Filii. Tantum una iustistia tibi est:

v. 6) *Quod odio habes opera Nicolaitarum*; h. e. haereses sunt quae secundum nomen Nicolai appellantur. Hic enim fuit unus e septem diaconis, qui constituti erant cum Stephano;

[1] Ioh., vii, 38.

cum factus esset discipulus, dimisit uxorem suam, quae pulcra erat; et caste vivebat; et etiam illa similiter. Quodam tempore elapso, surrexerunt quidam post eum, et mulieres suas communes faciebant.

v. 7) *Lignum vitae*; i. e. Christus seu eius pretiosum corpus.

v. 8) *Et angelo ecclesiae Smyrnae*; h. e. illae civitates sunt in regione Asiae. *Ego sum primus*; h. e. aeternus et a principio. *Et ultimus,* sine fine; h. e.[1] et in fine temporum indui corpus.

v. 17) *Et dabo ei manna illud absconditum*; h. e. corpus.
**Calculum album*; h. e. designat baptismum. *Et super cal-* p. 8.
culum nomen novum; i. e. christianorum[2].

[Caput III].

v. 18) *Suadeo tibi, ut emas a me aurum probatum*, h. e. « aurum » naturam divinam appellat; suadet ut daremus quid possidemus pauperibus. Et pro eleemosynis dabit tibi pretiosam gloriam divinitatis suae: in hoc quidem mundo sapientiam et scientiam, et in futuro splendorem angelorum.

Et vestes albas ad involvendum; h. e. vestes albas nominat opera bona: fidem, ieiunium et orationem cum ceteris virtutibus. Et *collyrium* appellat lumen scientiae divinae et intelligentiam, quae e lectione Scripturarum comparatur, quae illuminat oculos occultos. *Oculos* hic nominat sensus, i. e. facultates animae (quae sunt): mens, intellectus, intelligentia, scientia, discretio; quibus videt anima mundum spiritalem; et praecipit, ut ab his oculis auferamus obscuritatem mali.

[Caput IV].

v. 3) *Lapis iaspidis*; h. e. iaspis seu onyx, i. e. sicut plumbum candidum[3] est similitudo eius. *Et sardii*; h. e. est coloris rubri uti ignis. *Smaragdi*: smaragdi color est sicut betae.

[1] Hic textus corruptus aut mancus videtur. — [2] Inde a II, 17 ad III, 17 videtur esse lacuna in codice. — [3] ܐܒܪ ܩܠܥܝ est arabicum رصاص قالعي. Distinguunt enim plumbum nigrum آبّار, a plumbo albo قلّعي, quod et *stannum* indicat.

(v. 6) *Mare vitreum simile crystallo*: h. e. glaciei).

v. 4) *Viginti quattuor seniores*; h. e. ex ordine Thronorum sunt.

v. 6) *Et quattuor animalia*; h. e. ordo Cherubim. Et qui habent sex alas (sunt) Seraphim; sed in Apocalypsi dixit Cherubim habere sex alas et eos clamare: « Sanctus »! Ab ecclesia enim superiori Filius tonitru [1] illuminatus est hac revelatione.

Quattuor animalia plena oculis; h. e. unicuique animali
p. 9. quattuor *facies (sunt); quia cum unum sit evangelium, quadriforme videtur.

v. 7) *Animal primum simile leoni*; h. e. per hoc regnum et principatum ostendit leonis qui e tribu Iudae ortus est; hoc ostendit Matthaeus. *Animal secundum simile vitulo*; h. e. taurus gloriam eximiam Christi significat; quod narrat Lucas. *Animal tertium habet faciem hominis*; h. e. passibilitatem Filii et humilem habitum filii hominis quem inter homines monstravit; quod narrat Marcus. *Et animal quartum figura aquilae volantis*; i. e. per aquilam mysterium spiritale et tremendum Verbi indicat et eius potentiam sese extendere in caelos docet; id praedicat Iohannes.

[Caput V].

v. 1) *Librum scriptum intus et extra, obsignatum sigillis septem*: Et vere enim Iudaeis ignota erant abscondita Prophetarum, nunc credentibus omnia aperuit Christus. Ipse enim est sigillum perfectum et « clavis Davidica, qui aperit et nemo claudit, et claudit et nemo aperit » [2], sicut dicit Iohannes infra.

v. 9) *Dignus es accipere librum et aperire sigilla eius*; h. e. accepit igitur librum et aperuit eum, nam quae antea de ipso occulte dicta sunt, nunc aperte super tecta praedicata sunt. Rursum « liber » de quo loquitur Iohannes, figurat animam, et « septem sigilla », quae super eum, sunt septem dona Spiritus. Rursum, in capite hominis septem ianuae sunt: duo oculi, duae aures, duae nares et os.

v. 8) *Phialae* seu urcei figurant patenas.

[1] I. e. Iohannes; cf. Marc., III, 17. — [2] *Apoc.*, III, 7.

*[Caput VI]. p. 10.

v. 1) *Aperuit agnus unum e septem sigillis*; h. e. vult hic notitiam dare de tempore futuro.

v. 2) Per *equum album* etc. ostendit fidem, quae expansa est in quattuor plagas, et confessae sunt omnes gentes Christum et salvatae sunt, secundum quod dixit Lucas: Credite « ut obveniant vobis tempora quietis » [1]. (v. 4) Per *equum rufum,* (designat) proelium et effusionem sanguinis sanctorum, quem pagani effuderunt. (v. 5) Per *equum nigrum* indicat tempus doloris, qui incidet in terram causa iniquorum et impiorum, qui multiplicati sunt.

v. 6) *Choenix tritici denario*: hic annunciat famem, quae erit propter impios in fine; i. e. cabum appellat choenixem mensuram, quae est tertia pars modii; in regione Phrygiae et Galatiae [2].

v. 8) *Equus viridis* indicat mortem et perniciem, quae veniet in fine temporum in habitatores terrae propter opera eorum mala.

v. 9) *Vidi sub altari animas, quae occisae sunt*; h. e. prophetarum, apostolorum et sanctorum.

v. 10) *Usque quo, Domine, non iudicas*; h. e. hic ostendit servari vitam animae et memoriam eius.

v. 11) *Et data est unicuique ex illis stola alba*; i. e. vestimentum incorruptibilitatis, quo se vestituri sunt. *Usque dum completi fuerint etiam socii eorum*; h. e. usque dum ingrediatur plenitudo electorum. Dixit enim Paulus: « Ne sine nobis consummarentur » [3].

v. 12) *Sigillum sextum* significat finem, cum iam oriturus est Dominus e caelis, post caedem quam fecerit Antichristus.

*[Caput VII]. p. 11.

v. 1) Per *quattuor angelos,* qui postea apparuerunt, indicat: A quattuor plagis congregaturi sunt filios Adam, et parati terram eiusque fundamenta destruere.

[1] *Act. ap.*, III, 20. — [2] Aut punctum in textu delendum est, aut haec verba aliunde irrepserunt. — [3] *Hebr.*, XI, 40.

v. 2) *Angelus, qui habet sigillum Dei*: h. e. tenens manu sua signum crucis. *Signatos* vocat illos, qui confessi sunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum et cum fide protulerunt opera virtutum.

[Caput VIII].

v. 1) *Et cum aperuisset sigillum septimum* etc., h. e. etiam quod scriptum est hic, in fine temporis eventurum est.

v. 7) *Et ille primus clanxit et facta est grando et ignis, mixta sanguine, et proiecta sunt in terram et tertia pars terrae usta est* . . . [1]

v. 8) *Et ille secundus angelus aperuit et tamquam mons magnus proiectus est in mare, et facta est etiam tertia pars maris sanguis*, et cetera; h. e. Caius haereticus impugnavit hanc visionem et dixit: Impossibile est, ut ista fiant, nam, « sicut fur, qui venit noctu » [2], ita erit adventus Domini. Hippolytus romanus refutavit eum et dixit: quemadmodum fecit Deus huiusmodi signa in Aegypto, ita et faciet, quando apparebit Christus. Et, quae in Aegypto (facta sunt), erant particularia, quia pars populi ibi in servitutem subiecta erat; haec vero universalia erunt ante iudicium omni orbi terrarum. Igitur per revelationem dixit Iohannes plagas futuras esse ante iudicium in vindictam iustorum et retributionem infidelium, qui his involventur ne opprimerent fideles. Sic etiam Dominus dixit: « Erit in illa die tribulatio, cui non fuit similis » [3]; et Ioel: « Dabo signa in caelo, et super terram, sanguinem, et ignem, et fumum et vaporem fumosum. Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini... » [4];
p. 12. et Amos: « Ad quid erit vobis *dies Domini, qui tenebrosus est et non lucidus? ». Et pariter: « Si fugias leonem, obviam cades in ursum »; et « ponet manus suas super parietem et mordebit eum serpens » [5].

« Haec dies Domini veniet uti fur [6] » significat infideles qui sunt tenebrae, nam fideles « sunt filii lucis et non ambulant in tenebris » [7]. Ergo in Aegypto adimpletus est hic typus cum Aegyptiis fuit obscuritas, Hebraeis autem lux [8].

[1] Explicatio desideratur. — [2] I *Thess.*, v, 2. — [3] Matth., xxiv, 21. — [4] Ioel., ii, 30, 31. — [5] Am., v, 18, 19. — [6] II Pet., iii, 10. — [7] Iohan., xi, 10; xii, 35, 36. *Ephes*, v, 8. — [8] Cfr. *Ex.*, x, 22, 23.

v. 11) *Et nomen stellae vocatur absynthion; et facta est tertia pars aquae in absynthium, et multi homines mortui sunt*; h. e. absynthion est radix amara, et omne, in quod iniicitur, permutat in amaritudinem. Et ante adventum Domini sic eveniet paganis, qui male faciunt christianis: nam convertentur aquae, potus eorum, in amaritudinem. Figura est fons Mara, ad quem castrametati sunt Hebraei. Dulcem fecit Dominus aquam ligno, pro illis qui crediderunt. Et quemadmodum Aegyptiis aquae factae sunt sanguis et Hebraeis erant aquae purae, ita ante illam diem percutientur infideles amaritudine aquae.

v. 12) *Et ille quartus angelus aperuit, et percussa est tertia pars solis et tertia pars lunae et tertia pars stellarum, ut tenebricosa fiat tertia pars eorum*; h. e. Caius dixit: Sicut in diluvio elementa non sublevata sunt, et subito aquis submersa sunt, ita etiam in fine erit, sicut scriptum est [1]; et Paulus: « cum dicent: Salus est et securitas, surget in eos interitus » [2]. Et dixit Hippolytus contra hanc haeretici obiectionem: « Ante diluvium non fuerunt haec signa, quia diluvium fuit partiale; et non sunt concussa elementa, quia nondum venerat consummatio universalis. *Cum autem peritura sunt caelum et terra, p. 13.
necessarium est, ut ornatus eorum paulatim deficiat. Hoc testatur Ioël [3]: « Ante ipsum turbabitur terra et commovetur caelum; et sol et luna obscurabuntur et stellarum lux deficiet »; et Dominus noster dixit in libro Lucae [4]: « Et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terra oppressio populorum. Et virtutes, quae in caelis sunt, concutientur ». Et quod adduxit in exemplum, inadvertentiam infidelium demonstrat; et illud: « Dum loquuntur pacem, surget in eos perditio », Iudaeos designat qui putant fore ut possideant terram suam et fruantur vita in pace, et ex improviso orietur Christus et confundentur.

[Caput IX].

v. 2) *Et aperuit puteum abyssi et adscendit fumus sicut fumus fornacis, et obscuratus est sol et aer. Et e fumo exierunt locustae in terram et data est eis potestas [quae*

[1] Forsitan Matth., xxiv, 37. — [2] I *Thess.*, v, 3. — [3] Ioel, ii, 10. — [4] Luc., xxi, 25.

est] *scorpionibus terrae*, et cetera: h. e. hic obiicit Caius: Quomodo scelesti percutientur locustis, cum dicat Scriptura peccatores prosperaturos et iustos persecutioni obnoxios fore in mundo [1]; et Paulus [2]: « Fideles persecutionem patientur et mali prospere agent, errantes et decipientes ? Et Hippolytus refutat eum et dicit: Fideles, qui persecutionem patientur a scelestis, in illo tempore requiem habebunt, quia obsignati sunt; super sceleratos vero, qui persecuti sunt sanctos, veniet plaga locustarum. Quemadmodum Aegyptii percutiebantur et Hebraei servabantur a plagis, licet in eodem loco habitarent [3]; ita sancti fruentur bonis in illo tempore, sicut dicit Dominus noster: « Cum incipient haec fieri, confortamini et erigite capita vestra, quia proxima est salus vestra » [4]; h. e. cum venient plagae in malos, iusti requiescent. Et illud: « Mali homines errantes et deci-
p. 14. pientes ». *ecce hodie videtur, nam homines fallaces permutant verba doctrinae Scripturarum secundum malas cogitationes suas: sed licet prosperent hodie, in fine tamen male se habebunt, sicut « Iannes et Iambres, qui restiterunt Mosi » [5], et postea devicti et confusione repleti sunt.

v. 11) *Et angelus abyssi, cui nomen hebraice est Abado; in graeco nomen ei est Apollon*; hoc autem est: « dimittens », aut « perdens », aut « dissolvens ».

v. 15) *Et soluti sunt illi quattuor angeli, qui vincti erant, et parati erant ad tempus et diem, ut occiderent tertiam partem hominum*, et cetera: h. e. Caius (dicit): Non est scriptum angelos bellum gessuros esse, nec tertiam partem hominum perituram esse, sed: « Surget gens contra gentem » [6]. Contra eum Hippolytus: Non angelos dixerunt venturos in bellum: sed quattuor populos surrecturos esse ex illa parte quae est ad Euphratem, et venturos super terram et pugnaturos cum humanitate. Quod autem dicat « quattuor angeli », non est alienum a Scripturis: dixit Moses [7]: « Quum dispersit filios Adami, constituit finem populorum secundum numerum angelorum Dei ». Itaque quia populi traditi sunt angelis et quivis populus uni angelo contigit, vere dixit Iohannes in revelatione sua [8]: « Solvit illos quattuor angelos », qui sunt

[1] Conf. *Ps.* LXXII, 12 et sqq. (Vulg.) — [2] II *Tim.*, III. 12. 13. — [3] Cfr. *Ex.*, VII-XII. — [4] Luc., XXI, 28. — [5] II *Tim.* III. 8, 9. — [6] Matth., XXIV, 7. — [7] *Deut.*, XXXII, 8, in vers. graeca. — [8] *Apoc.*, IX, 14.

Persae et Medi et Babylonii et Assyrii. Cum enim angeli illi, qui constituti sunt super populos, non iubentur movere illos qui ipsis traditi sunt, quoddam vinculum virtute verbi videtur coercere eos, donec veniat dies et praecipiat Omnipotens. Et hoc accidet quando veniet Antichristus.

v. 16) *Duae myriades myriadum*; h. e. etiam hoc scriptum est in Ezechiele de illo magno numero: « Congregabit omnem exercitum suum ab ortu solis usque ad occasum *solis »[1]. Et p. 15. illi quos vocavit, et illi quos non vocavit, ibunt cum eo.

v. 17) *Loricae eorum igneae et hyacinthinae et sulphureae*; h. e. per haec vestes eorum demonstrat qui venient e locis gentium, quia in varietate colorum vestiti sunt populi qui ad ripas Euphratis habitant. *Et capita equorum eorum sicuti capita leonum, et ex ore eorum exit ignis* . . ., h. e. etiam hoc dictum est per Isaiam[2]: « Current sicut leones et sicut catuli leonum ». Hoc enim dicit ostendens vehementiam et amaritudinem eorum, qui congregabuntur cum Antichristo.

[Caput X].

v. 9) *Amarus factus est venter meus*; h. e. impletus est venter meus amaritudine.

v. 11) *Et dixit mihi: Oportet te adhuc prophetare super populos et gentes et reges*; h. e. hic praedicationem evangelii innuit, quae fiebat in Asia. Apocalypsim primum in Patmos insula, in quam eiectus est a Domitiano, et cum reversus esset in Asiam composuit evangelium. Ergo propter hoc dictum est: « Oportet te adhuc prophetare super populos », h. e. quia ab omnibus populis audienda erat prophetia, quae est in evangelio.

[Caput XI].

v. 1) *Et datus est mihi calamus similis virgae*; h. e. hoc rursum ostendit Ezechiel, dum annunciavit spiritaliter mensurationes urbis illius caelestis[3]. *Surge, metire templum Domini, et altare, et illos qui in eo adorant*; h. e. templum vocat corpus Domini. Hebraei autem, cum non intelligerent

[1] Cfr. *Ps.* cvi, 2. — [2] Isai., v, 29. (num. sing.). — [3] Ezech., xlii, 15.

prophetiam, conati sunt aedificare in diebus Zorobabelis et p. 16. Šarbašar, ducis exercitus Cyri, secundum *mensuras quas enunciavit Ezechiel. Et impediti sunt, quia impotentes erant. Templum igitur et ecclesiam simul vocat corpus eius in quo dum in illa habitat, apud nos residet. Ita rursum dixit: « Solvite templum hoc »[1]. Sed, quia volebant gloriam et mensuram terrestrem adducere, rursum ab hoc impediti sunt. Alia sunt quae significavit propheta et alia, quae voluerunt Hebraei facere. *Et eos qui adorant in eo*; h. e. in quonam templo adorant sancti, nisi in eo quod Christus est?

v. 2) *Et atrium quod intra templum est, emitte foras, et ne metiaris illud*; h. e. hoc adduxit, quia multi qui nunc existimantur interiores esse, quia crediderunt, tunc repellentur, cum gentibus peccatricibus computandi, quia non secundum mensuram gratiae se gesserunt, secundum illud: « Mittet angelos suos et colligent e regno scandala et proiicient in fornacem ignis »[2], et « iusti fulgent sicut sol »[3].

Et civitatem sanctam conculcabunt menses quadraginta duos; h. e. civitas ecclesia est; et his mensibus persequentur eam et occident, quando veniet pseudochristus[4], quia eum non venerabitur. Et hoc dixit Daniel propheta[5]: « Et concedet pactum multis hebdomadem unam; in dimidio hebdomadis consummabitur hostia »; dimidium autem hebdomadis sunt tres anni cum dimidio; et hi constituunt praedictos quadraginta et duos menses. « Sacrificium » vocat non illud agnorum, sed orationes iustorum. « Civitatem sanctam » iustos appellat, i. e. qui opprimentur et conculcabuntur ab illo « cornu, quod crevit in medio », quod Antichristus est, uti dixit Daniel[6].

Scribit Hippolytus[7] aliter applicans quod dictum est in evanp. 17. gelio: « Quando videbitis *pollutionem desolationis »[8]. Dicit enim non de Iudaeis nec de vastatione Ierusalem illa dicta esse, sed de fine et Antichristo.

« Electos »[9] appellat christianos illius generationis. Et dicit: « Orate, ne fuga vestra sit die sabbati aut hieme »[10], h. e.

[1] Ioh., ii, 19. — [2] Matth., xiii, 41. — [3] Matth., xiii, 43. — [4] Cfr. Matth., xxiv, 24. — [5] Dan., ix, 27. — [6] Cfr. Dan., vii, 8, 20, 21; viii, 10. — [7] « In expositione evangelii ». — [8] Matth., xxiv, 15. — [9] Matth., xxiv, 22, 24. — [10] Matth., xxiv, 20.

suadet, ne simus praeoccupati illis rebus, quae nobis superveniunt, quando sumus otiosi in iustitia sicut Iudaei sabbato, vel turbati operibus mundanis sicuti procella hiemali.

« Erit oppressio, qualis non fuit similis ab initio mundi », et cetera [1]; h. e. dixit Hippolytus: Hoc non evenisse in obsidione Vespasiani, non enim accidit quidquam novi in mundo in diebus eius, praeter ea, quae iam antea evenerant. Si bellum dicis, multis vicibus accidit temporibus anterioribus; et si captivitates: non defuerunt caedes et effusio sanguinis illo valde maiores; et si comessationem filiorum et animalium impurorum, etiam in diebus Achab haec acciderunt [2]. Ergo non de Ierusalem hoc dixit Dominus, nam quando voluit de ipsa loqui, dixit [3]: « Quando videbitis exercitum cingere urbem, scitote quia prope est vastatio eius ». Ergo « pollutionem ruinae » Antichristum appellat. Et Daniel dixit [4]: « Dimidium hebdomadis stabit impietas in sanctuario ». Et Vespasianus non erexit idola in templo, sed illa legio quam collocavit Traianus Quintus, vir nobilis Romanorum, erexit ibi idolum quod vocatur Ḳōrē.

Etiam apostolus scripsit haec de Antichristo esse [5]: « Nisi venerit prius rebellio et revelatus fuerit homo iniquitatis, ita ut in templo tanquam deus sedeat, quem Dominus noster Iesus Christus consumet, et cetera ». *Ex his patet: non vocavit p. 18.
Vespasianus seipsum deum, nec sedit in templo, nec a Spiritu Domini interfectus est. Ergo manifestum est surrecturam esse in fine oppressionem contra ecclesiam, qualis non fuit similis.

v. 3) *Et dabo duos testes meos et prophetabunt*, et cetera; h. e. venient duo testes, prophetae Henoch et Elias. Et vocat eos duas olivas, sicut eos vocavit Zacharias [6]. Et de Elia dixit Dominus noster [7]: « Eliam oportet venire ut stabiliat omnia ». Illos dicit facturos esse miracula et signa et adducturos plagas super infideles [8] ut sit requies fidelibus.

Illi duo prophetae surgent adversus Antichristum, quemadmodum surrexerunt Moses et Aron adversus Pharaonem et

[1] Matth., xxiv, 21; cfr. Dan., xii, 1. — [2] IV *Reg.*, vi, 28. — [3] Luc., xxi, 20. — [4] Dan., ix, 27; cfr. xi, 31. — [5] II *Thess.*, ii, 3, 4, 8. — [6] Zach., iv, 3, 11, 14. — [7] Matth., xvii, 11; cfr. Marc., ix, 12. — [8] *Ap.*, xi, 5, 6.

Aegyptios. Fient autem haec « in dimidio hebdomadis », quando disperget Antichristus omnes, ita ut non possint duo vel tres congregari ad offerendum sacrificium Deo. Tunc adimplebitur illud [1] : « Deficiet hostia ». Dein, illis ibi occisis a pseudochristo, resurgent coram multis et « in nubibus rapientur, in occursum Domini nostri » [2] « in dimidio hebdomadis ». Dicit Iohannes : *Accipient potestatem* Henoch et Elias et *praedicabunt dies mille et ducentos et sexaginta, amicti saccis*, et docentes poenitentiam populum et gentes. Illi dies sunt « dimidium hebdomadis ». Et illae « duae olivae et duo candelabra » sunt, sicut dixit Zacharias [3], Henoch et Elias.

v. 7) *Et animal quod adscendit ex abysso, inibit cum eis proelium, et vincet eos et interficiet eos,* (v. 8) *et cadavera eorum proiiciet in plateas seu in latos vicos urbis* ; h. e. de hoc animali locutus est Daniel [4] : « Vidi animal quod adscendit ex abysso seu mari, et iniit proelium cum sanctis »,
p. 19. quo indicat cornu illud quod excrevit [5] ; non *regnum ultimum persequetur sanctos, sed illud tantum cornu ab eo in fine ortum, id est Antichristus qui occidet Henoch et Eliam. Et post id eveniet quod dixit Isaias [6] : « Ecce Dominus e sancto suo adducet gladium magnum et fortem, contra draconem tortuosum ». Similiter dixit Daniel [7] : « Et occisum est animal et periit, et corpus eius datum est in incendium ignis ». « Corpus eius » appellat Calumniatorem qui operatur per pseudochristum ; et « urbem » Ierusalem appellat ; ibi evenient illa. Dixit enim Paulus de Antichristo [8] : « Sedet in templo Dei tanquam deus ».

[Caput XII].

v. 1) *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona duodecim stellarum.* (v. 2) *Et cum in ventre haberet, clamabat et parturiens premebatur ad pariendum* : hoc est : ille hic indicat persecutiones et vexationes quas patietur ecclesia ab Antichristo. « Mulierem »

[1] Dan., ix, 27. — [2] Cf. *Ap.*, xi, 11, 12 ; I *Thess.*, iv, 17. — [3] Zach., iv, 3. — [4] Dan., vii, 3, 21. — [5] Dan., vii, 8. — [6] Is., xxvi, 21 ; xxvii, 1. — [7] Dan., vii, 11. — [8] II *Thess.*, ii, 7, 9.

enim ecclesiam vocat; « amictam sole », quia amicta est verbo paterno quod splendet magis quam sol. *Et luna sub pedibus eius* ; h. e. pulcritudine caelesti sicut lunam ornatam. *Et super caput eius duodecim stellae* ; h. e. duodecim apostoli quorum est firmitas ecclesiae. *Et clamat et vexatur ad pariendum* ; quia continuo et indesinenter gignit e corde verbum, et quidem in mundo patitur persecutionem ab infidelibus.

v. 3) *Et ecce, draco ruber, septem capita et decem cornua habens, et super caput eius septem diademata.* (v. 4) *Et cauda eius trahit tertiam partem stellarum caeli*, et cetera ; hoc est : quem Daniel etiam nominat « bestiam », ipsum vocat Iohannes « draconem », h. e. Antichristum, seu Calumniatorem, draconem, qui incitat illum ut persequatur sanctos. *Appellat sanctos « stellas », secundum illud [1] : « Iusti p. 20.
fulgebunt sicut stellae », quod dixit Dominus noster. Cum erunt sancti in illo tempore in magna tribulatione, quosdam eorum rapiet et abducet in malitiam suam, et vestigia electorum pervertet.

v. 5) *Et peperit filium masculum, qui pasturus est omnes gentes ;* h. e. « masculum » Christum nominabat qui est Deus et ipsemet homo, quem parit ecclesia continuo et docet omnes gentes. *Et raptus est filius eius ad Deum et ad thronum eius ;* h. e. quia est rex caelestis et Filius Patris, sicut dixit David [2] : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextera mea ».

v. 6) *Et illa mulier fugit in desertum, ubi est ipsi locus paratus a Deo ; peraget ibi mille ducentos et sexaginta dies.* (v. 7) *Et factum est proelium in caelo ;* h. e. mulier ecclesia est quae persecutionem patietur ab Antichristo. Et fugient seu dispergentur fideles quos vocat ecclesiam, coram pseudochristo : et abibunt in loca quae nunc carent religione, ut in universa terra praedicetur evangelium eorum. Et « mille ducenti et sexaginta dies », tres anni cum dimidio, seu dimidium hebdomadis sunt : in angustiis erunt fideles hisce diebus, et « deficiet sacrificium » [3]. « Proelium in caelo » est motus caelorum, et « virtutes » angeli. Cum enim veniet Dominus, mittet angelos qui congregabunt electos. Quando enim haec

[1] Cfr. MATTH., XIV, 43. — [2] *Ps.* CIX, 2. — [3] DAN., IX, 27.

accident, non exigua perturbatio fiet in caelo, sed omnes erunt in terrore tanquam viri perculsi tremore belli.

v. 13) *Persecutus est mulierem quae peperit masculum;* (v. 14) *et datae sunt illi duae alae aquilae illius magnae,* p. 21. *ut volaret in desertum: alatur ibi tempus et tempora *et dimidium temporis, a facie serpentis:* h. e. tempus et cetera sunt illi mille ducenti et sexaginta dies seu dimidium hebdomadis, quando occupabit pseudochristus et persequetur ecclesiam, quae fugiet e loco in locum et se occultabit in montibus et in deserto. *Et habet secum duas alas;* h. e. fideles in Christum qui cum expandit manus suas in ligno, expandit « duas alas »; h. e. dexteram et sinistram suam; et vocabit fideles et « congregabit eos uti gallina pullos suos »[1]. Et per Malachiam dixit[2]: « Vobis timentibus nomen meum, oriri faciam Solem iustitiae: et sanationem in alis eius ».

[Caput XIII].

v. 11) *Et vidi aliam feram, adscendentem e terra, et habet duo cornua, similia eis agni; et loquebatur sicut draco:* h. e. animal quod adscendit e terra, regnum futurum Antichristi edicit; duo autem cornua: ipsum et pseudoprophetam qui cum eo est. Illud « cornua eius similia sunt eis agni », i. e. cupit similis fieri Filio Dei et se regem praestabit. Illud « loquebatur uti draco », quia seductor est et non verax.

v. 12) *Et omnis potestas animalis illius primi*[3] *antecedebat eum*[4] *et faciebat, ut terra et qui in ea habitant, adorarent animal primum, cuius sanata est plaga mortalis;* h. e. illud significat: ad instar legis Augusti a quo imperium romanum ordinatum est, ita etiam hic ordinavit et posuit legem de omnibus, cum fortis esset, et per illud sibi magnam laudem comparavit. Hoc autem erat *animal quartum,* p. 22. cuius caput vulneratum est et iterum *sanatum,* nam *dissolutum et contumelia affectum est, *et obtigit decem diademata,* quod cum studeret malitiae erat simile illi, qui curavit et renovavit ipsum. Hoc est quod dictum est a propheta.

[1] Matth., xxiii, 37. — [2] Mal., iv, 2. — [3] Vide xiii, 1. — [4] « *exercebat* coram eo » iuxta alium textum.

v. 15) *Dabit spiritum imagini et loquetur imago animalis;* h. e. faciet ut roborarentur per legem ii qui ab ipso definiti sunt. *Et faciet ut omnes illi qui non adorant imaginem animalis occidantur :* tunc fides et patientia sanctorum apparebit. *Dabit spiritum imagini animalis ;* h. e. « imago animalis » figuram huius regni praesentis et quod tunc acturus est Antichristus, ostendit. Omnia enim quod regnum praesens operatione Satanae facit adversus sanctos, eadem tunc, quando veniet Antichristus, statuet et confirmabit ut fiant adversus iustos. Quae cum ita adimplenda sint, merito dixit Apocalypsis : *Dabit spiritum imagini animalis, et loquetur imago ;* h. e. corroborabit eos qui ab imagine regni constituti sunt quasi nomine, et ita faciet.

v. 16) *Et faciet omnes hos, parvos et magnos et divites,* et cetera ; *et dabit eis signum super manus eorum ;* h. e. astutus enim est et exaltari super servos Dei studet. Et vult vexare et expellere eos e mundo, quia non dant ipsi laudem. *Ut detur eis signum ;* h. e. hac enim re vult Antichristus imitari Dominum, et dat sigillum nominis sui illis qui congregantur apud eum, ut etiam in hoc opprimeret sanctos, et praecipiet ut omnes ubique sanctuarium exstruant, ne quis sanctorum possit emere, « sed tantum qui habet signum » [1], quod super manum dexteram datum est. Illud autem dicit [imponi] « super sedem oculorum » seu frontem : quia omnes coronabunt corona peregrina, non vitae sed mortis, *quos secum circum- p. 23.
ducent. Ita fecit Antiochus Epiphanes, Antiochenus, e familia Alexandri ; cum enim gloriaretur in corde suo, praecepit ut extruantur altaria ; et quidem ut coronati omnes in ligneto festum Dionysi agerent : eos vero, qui non sacrificarunt, occiderunt. « Et percussit eum Dominus vermibus, et mortuus est », sicut scriptum est in Maccabaeis [2].

v. 18) *Et numerus eius est : Sexcenta et sexaginta et sex ;* h. e. de nomine eius non licet adaequate definire : multa enim nomina videmus attingere calculum hunc, verbi gratia Ṭiṭin aut Auntos [3], et alia huiusmodi. In alphabeto Graecorum subit computatio haec, et non in alphabeto Syrorum.

[1] Textus corruptus et obscurus. — [2] II Mac., ix, 9. — [3] Nomina corrupta, fortasse τειταν et λατεινος.

T a w in lingua graeca trecentum est et apud nos t e t h novem est. Sed quia, ut antea diximus: *Sanata est plaga animalis, et fecit ut imago loquatur*; h. e. ut roboretur, manifestatio est eorum qui nunc dominantur, i. e. Romanorum. Romani antequam haberent hoc nomen Latini vocabantur, et unus eorum appellatur Latinus. Ex hoc autem nomine numerus unius hominis colligitur. Latinus est nomen ΛΕΑΤΙΝΟϹ [1]. Secundum numerationem Graecorum adhibentur signa illa: sicut diximus, t a w tercentum est apud Graecos, septuaginta . . . tale est nomen animalis et numerus nominis eius.

[Caput XIV].

v. 10) *Quod mixtum est mero*; h. e. quod mixtum est absque mixtura, scilicet potus, quocum non miscetur quidquid aut coniungitur.

v. 19) *Et vindemiavit vineam terrae, et proiecit in torcular irae Dei.* (v. 20) *Et calcatum est illud torcular extra*
p. 24. **urbem et effluxit sanguis e torculari usque ad fraena equorum, stadiis mille et sexcentis*; h. e. etiam Zacharias ita locutus est de bello, quod ante adventum Domini excitabitur ab illo adversario contra eos qui in initio stabant adversus eum [2]. Typus autem est haec demonstratio magnae abruptionis populorum et regum, sicut et Ezechiel dicit [3]: « Quivis qui obviam occurret ei in proelio, cadet in ruinam ». Et Zacharias ait: Erit ante messem, quando consummatus erit flos eruntque uvae acerbae, et auferet racemulos illos parvis falcibus, et palmites auferet et abscindet, et relinquet volatilibus caeli et animalibus terrae [4]. Et similia his dicit Iohannes futura ante adventum Domini.

[Caput XV].

v. 6) *Ad pectus eorum zonae aureae*; h. e. vincti super pectora sua vinculo aureo. *Phialae* sunt urcei aut paterae [5].

[1] Cfr. Iren., *Contra haereses*, V, xxx, 3; *Patr. Gr.*, VII, 1206. Numerus 666 est in litteris « Leatinos » et « Lateinos ». — [2] De bellis et calamitatibus in Zach., xii et xiv. — [3] Cfr. Ez., vi, 12. — [4] Occurrit in Is., xviii, 5, 6; non in Zacharia. — [5] πίνακες.

[Caput XVI].

v. 16) *In locum qui vocatur hebraice Mageddo, graece Armageddon.* Videamus rursum quid dicat Iohannes de Babylone, quae eum pepulit in exilium.

[Caput XVII].

v. 1) *Veni, ostendam tibi iudicium meretricis, quae sedet super aquas multas*, et cetera; h. e. usque ad sanguinem prophetarum et sanctorum et omnium interfectorum super terram. In omnibus quae dicta sunt superius indicat cruciatus et damna particularia, quae venient super Babylonem in fine, e parte tyrannorum qui tunc erunt.

[Caput XX].

v. 2) *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Calumniator et Satanas.* (v. 3) *Et ligavit eum mille annos, et proiecit eum in abyssum *et clausit et obsignavit* p. 25.
super eum abyssum, ne decipiat populos, donec absolverentur mille anni; postea solvi debet paululum temporis; h. e. Caius haereticus obiicit: Satanas hic vinctus est secundum quod scriptum est [1]: « Ingressus est Christus domum fortis et ligavit eum et rapuit nos, vasa eius ». — Hippolytus refutat eum et dicit: Si est vinctus impostor, quomodo decipiat fideles et persequitur spoliatque homines? Et si dicas eum vinctum esse respectu fidelium, quomodo potuit ad Christum, qui non fecit peccatum, accedere, secundum illud [2]: « Veniet princeps et peccatum non inveniet in me? » Si itaque vinctus est, quomodo docuit nos Dominus orare: ut liberemur a malo? [3] et cur petiit probare Simonem et apostolos? [4] Et qui vinctus est, quomodo poterat cribrare et turbare discipulos? « Non est nobis lucta cum carne et sanguine, sed cum principibus et potentibus mundi huius tenebrosi [5] ». Si vinctus esset, non gereret luctam, nec « raperet verbum quod satum est [6] », sicut dictum est in parabola de semine. Illud « vinxit fortem » [7]

[1] Matth., xii, 29. — [2] Ioh., xiv, 30. — [3] Matth., vi, 13. — [4] Luc., xxii, 31. — [5] *Eph.*, vi, 12. — [6] Matth., xiii, 19. — [7] Matth., xii, 29.

sensum hunc habet : Redarguit et confudit eos qui non venerunt ad eum, cum venit adversus Calumniatorem, ut mundaret eos ab operatione eius eosque faceret filios Patri. Et hoc notum est eo quod postea dicit [1] : « Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, omnino dispergit ». Ergo in fine temporum ligabitur Calumniator et eiicietur in abyssum, cum veniet Dominus, quemadmodum dixit Isaias [2] : « Auferetur impius, ne videat gloriam Domini ». Et numerus annorum non est numerus dierum, sed spatium diei unius, gloriosi, perfecti, indicat, quod cum veniet rex in gloria cum occisis suis, lucebit creatura secundum illud [3] : « Lucebit sol
p. 26. septuplum », quando iusti *cum eo comedent et bibent e vinea eius. « Haec est dies quam fecit Dominus », de ea dixit David [4]. Ideo, cum adspexit Iohannes oculo spiritus splendorem huius diei, comparavit illum cum spatio mille annorum, secundum illud [5] : « Una dies in saeculo iustorum sicut mille anni ». Et « perfectum » per numerum ostendit hunc diem his qui credunt. Quod autem dicit : « Post mille annos solvetur et decipiet gentes » significat quod merito solvetur et in ignem mittetur et punietur [simul] cum his, qui antea congregati sunt cum eo, cum congregaret apud se alienos a regno et Gog et Magog.

v. 4) *Vidi thronos qui positi erant, et sederunt super eos, et iudicium animabus eorum* et cetera ; h. e. non unam remunerationem accipiunt sancti, quasi in aequalitate constituti. Maior erit remuneratio virginis quam maritati ; etiam eius qui martyrium passus est pro Domino nostro maior quam eius qui testimonium non reddidit. Quod enim dictum est [6] : « Dabit denarium primis et eis qui venerunt sub vesperam », de vita innuit, quia omnes vivunt ; « denarium » appellat vitam. Quod iusti primum surgent, docet Zacharias [7] : « Veniet Dominus et omnes sancti cum eo » ; Isaias [8] : « Surgent mortui et suscitabuntur qui in sepulcris sunt » ; et Paulus [9] : « Mortui qui in Christo surgent primum ». Et hac de re dicit Iohannes surrecturos interfectos primum in die illa gloriosa.

v. 5) Hanc vocat « resurrectionem primam », non quod sit

[1] MATTH., XII, 30. — [2] IS., XXVI, 19 [graec. et hexapl.]. — [3] Alibi : dupliciter splendebit. IS., XXX, 26. — [4] *Ps.* CXVII, 24. — [5] II PETR., III, 8 [ad *Ap.*, XX, 2]. — [6] MATTH., XX, 10. — [7] ZACH., XIV, 5. — [8] Cfr. IS., XXVI, 19. — [9] I *Thess.*, IV, 16.

resurrectio secunda, sed de ordine iustorum docet, qui primi ingressuri sunt in regnum; ordo secundus illorum est qui repudiabuntur tamquam hoedi. Quidam dicunt omnes mortuos in uno ictu oculi resurrecturos unanimiter; sed iusti primum et postea scelesti. Sanctus Severus dixit quod scriptum est in Apocalypsi.

v. 6) **Beatus sanctus qui habet partem in resurrectione* p. 27.
illa prima; h. e. non est resurrectio prima et secunda secundum tempus; una enim est resurrectio et unam diem assignavit Deus in iudicium, sed resurrectionem primam vocat, quia ordines priores et excellentiores ad eam pertinent, secundum illud [1]: « Multae sunt mansiones domus Patris mei »; si enim mansiones multae sunt, etiam ordines multi pariter, ita ut hic sit primus, alter secundus, ille tertius; et ordo primus est eorum qui vincti erant.

v. 11) *Et vidi thronum magnum et album, et eum qui sedet super eum; et a facie eius fugit terra et caelum;* h. e. post diem revelationis quam vident fideles et infideles, dicet eis qui relicti sunt et nondum mortem gustarunt: Veni mecum, ingredere conclavia tua et occultare, donec transierit ira. Quod autem: « Caeli et terra fugerunt et non est inventus locus eis », stuporem omnis creaturae ostendit et commotionem elementorum, propter iram quae accidit. Per illud: *non inventus est ipsis locus,* ostendit non periisse, sed stupore permota esse in tremore, quando ortus est in ira divina qui omnia creavit; qui postea restituet omnia quae renovabuntur, secundum illud [2]: « Erit novum caelum et terra nova »; et apostolus [3]: « Exspectatio creaturae in revelationem filiorum Dei », quia etiam haec creatura liberabitur a servitute corruptionis.

[Caput XXI].

v. 9) *Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem agni.*

v. 10) *Et adduxit me in spiritu supra montem magnum, et ostendit mihi urbem sanctam Ierusalem,* et infra: (v. 16) *et illa urbs quadrangularis posita erat;* h. e. quattuor angulis constituebatur.

v. 18) **Et structura muri eius;* h. e. aedificatio muri eius. p. 28.

[1] Ioh., xiv, 2. — [2] *Apoc.*, xxi, 1. — [3] *Rom.*, viii, 19.

v. 19) *Iaspis* seu iasipon. *Sapphirus* aut sapphila. *Chelidon* seu chalcedon. *Smaragdus.*

v. 20) *Quintum sardonicus* seu ruber: *sextum saridion* seu sardon; *septimum chrysolitus* aut lapis aureus; *octavum beryllus: nonum topazion* seu pazion; *decimum chrysoprasius* seu aurum purpuratum; *undecimum iakinthos*, id est hyacinthus: *duodecimum amethyst*[*us*] seu rutilans, h. e. haec de ecclesia dicuntur quae aedificetur lapidibus pretiosis, h. e. sanctis, qui tamquam lapides collocantur a Verbo opifice et aedificantur ut civitas, et in illa die implebitur gloria et in ipsa habitabit Deus. Duodecim lapides significant mystice duodecim tribus, quae dispersae sunt per iustitiam et per quas accesserunt Gentes ad Deum. Et duodecim fundamenta duodecim nomina apostolorum sunt. Ipsi sunt fundamenta ecclesiae quae portant eam. Et dixit muros eius e lapidibus valde pretiosis, i. e. iustis et virginibus et sanctis; qui sunt robusti quibus murus civitatis aedificatur, et ipsi custodes sunt eorum qui in medio eius versantur. Et mysteria haec, quae spiritaliter hodie adimplentur, ea sunt quorum typos agere Moses iussus erat. Servabat spiritalia spiritalibus, quae nunc mystice operatur Pater, ut completa et perfecta ostenderet.

[Caput XXII].

v. 1) *Et ostendit mihi fluvium aquae vivae. Fluvius sicut e crystallo, fluens e sede Dei et agni in medio plateae;* h. e. illud « flumen vitae » est baptismus; *in medio civitatis;*
p. 29. h. e. *in medio ecclesiae.

v. 2) *Et arbor vitae quae fecit fructus;* h. e. arbor vitae quam dicit *hinc atque illinc in ripa fluminis,* passionem Christi ostendit, in quo, cum primum credit homo, descendit in aquas et abluit peccata sua. *Duodecim omni mense;* h. e. illi enim duodecim fructus sunt duodecim apostoli quorum verba uti folia ad sanitatem populorum sunt. *Et folia arborum sanitas populorum;* h. e. quae nunc fiunt in ecclesia et parvi reputantur, tunc in gloria revelabuntur. Sanitas et cognitio quam ibi accipiemus, multo sublimior est illa quae hic ministratur.

Explicit apocalypsis Iohannis evangelistae.

IN ACTA APOSTOLORUM

*Rursum, alia brevis explicatio Actorum apostolorum Mar Dionysii seu Iacobi bar Ṣalibi, episcopi Amidae. Oratio eius nobiscum! p. 30.

Iterum in adiutorio dei scribimus elucidationem Actorum apostolorum. Preces eorum sint nobiscum. Amen.

Cum Deum sumimus iu adiutorium nostrum, o carissime noster, diligens scientiam! parati sumus ut brevi interpretatione scribamus verba libri Actorum apostolorum, quae indigent explicatione, secundum petitionem et postulationem tuam; tu vero orationem effundas pro debili et peccatore Dionysio, misero, seu nomine episcopo, qui collegit, scripsit et elucidavit verba quae id requirebant, secundum mentem doctorum.

Praxis autem vox graeca est et interpretatur in syriaco « actio », et quando legimus « Praxim apostolorum », actionem apostolorum dicimus: quid nempe illi egerunt et locuti sunt post adscensionem Christi in caelum. Et hic liber a Luca evangelista, discipulo Pauli, scriptus est.

Iacobus Edessenus dicit de Luca, scriptore Actorum: Quamquam Hebraeus erat Lucas, tamen in doctrina et lingua graeca educatus et eruditus est: Alexandria oriundus est et artem medicinae didicerat a iuventute sua; lingua graeca scripsit Evangelium et Acta, et secundum morem graecae linguae posuit nomina hebraea in libris suis, ea graecisans, et pro Šaul scribit Saulos.

*Argumentum libri actorum. — Quia enim praedocuit liber Evangelii omnem conversationem Domini nostri in terra a nativitate eius usque ad resurrectionem, et quomodo vixit in mundo; et de promissione ad discipulos [1]: « Manete Hierosolymis, donec induamini virtutem Spiritus », id est, donec perficerentur in virtute Spiritus sancti, et statim exirent ut praedicarent Gentibus: relictum erat, ut doceret, quomodo haec p. 31.

[1] Cf. *Act.*, i, 4; Luc., xxiv, 49.

omnia finem acceperint. Et propterea beatus Lucas scripsit hunc librum qui exponit res quae postea evenerunt.

Rursum scribimus, quot argumenta sunt in illo libro: primum, quomodo Dominus noster adscendit in caelum; secundo, quomodo descendit Spiritus in apostolos in caenaculo; tertio, quomodo sapienter providit Deus, ut non videatur adventus Filii et fides in eum contraria legi, dum vocavit et adduxit Iudaeos ad fidem; quarto, quomodo propter illa quae adversus Stephanum facta sunt, dispersi sunt discipuli et inceperunt docere populum et Gentes; quinto, de Paulo; sexto, qualis erat ante vocationem suam; septimo, qualis fuit, postquam vocatus est; octavo, qualis fuit apostolatus eius ad Gentes; nono, et quomodo cum vexationibus incepit praedicationem a Ierusalem usque ad fines exteriores.

[Caput I] corporis actorum.

v. 1) *Primum librum scripsi, o Theophile*; h. e. primum librum appellat Lucas Evangelium quod scripsit, et hic est secundus qui illud sequitur. Hunc « Theophilum » dicunt fuisse unum e primoribus Alexandriae, qui petierat ab eo ut scriberet de rebus, quae fecerat Christus in oeconomia sua in primo
p. 32. libro evangelii, et in hoc rursum de rebus gestis *apostolorum post crucifixionem. Alii dicunt « Theophilum » per « amicum veritatis » interpretari, et personam communem gerere cuiusvis qui est amicus veritatis, qui leget doctrinam suam et intelliget quae scripsit. Nos vero interpretationi priori adhaeremus, quia ad unam personam dirigit sermonem suum, sicut ex evangelio eius notum est.

De his omnibus quae coepit Dominus noster Iesus Christus facere aut peragere: h. e. gesta, quemadmodum baptisma, ieiunium, oratio, humilitas, certamen cum Satana, signa et miracula, passio et mors. *Et docere*; h. e. verba, tota doctrina eius, sicut decem beatitudines: et docebat verbis suis et operibus suis.

v. 5) *Iohannes baptizavit aquis*: h. e. commemorat hic baptismum, quia initium evangelii est baptismus Christi. Et ideo non fecit Christus miraculum ante suum baptismum. Et ratio prima et perfecta oeconomiae est resurrectio Christi, quae est

principium resurrectionis universalis. Et propterea baptizatus est primo, ut indicaret tanquam in mysterio mortem et resurrectionem suam, quae postea accidit, et doceret nos rursum, quod si baptizamur, etiam sicut ille resurgemus.

v. 3) *Per dies quadraginta, cum appareret eis*; h. e. cur mansit quadraginta dies et dein adscendit? Et dicimus: Quia imitatus est ea quae praecepit lex [1], ut « omnis masculus qui nascetur post quadraginta dies purgationis in templo appareat »: et Dominus noster, cum natus esset ex utero inferorum ad vitam immortalem, post quadraginta dies ingressus est tabernaculum non manufactum, ut appareret Patri. **Et cum comedisset cum eis panem*; h. e. et hoc testatus est Petrus [2]: « Edimus et bibimus cum eo »; et hoc ad confirmationem resurrectionis eius. Filii Hagar inde argumentum sumunt et dicunt: Quemadmodum manducavit Christus post resurrectionem, et nos post resurrectionem universalem. Dicimus ad carnales: Christus coegit naturam rerum, et comedit ut confirmaret resurrectionem. De resurrectione nostra dubium non est; in illo tempore necesse erat ut confirmaretur per cibum, quemadmodum ostendit illis locum clavorum et lanceae in confirmationem resurrectionis. p. 33.

v. 4) *Praecepit eis ut a Ierusalem non discederent*; h. e. quia discipuli erant e variis locis, vel quia discessuri erant post adscensionem Domini nostri unusquisque in suum locum, ideo praecepit eis ut a Ierusalem non recederent, ut eo ipso loco quo acciderant res contumeliosae, manifestarentur et gloriosae; quamvis potuisset in aliis locis implere apud eos promissionem suam.

v. 6) *Si hoc tempore restitues regnum Israel?* h. e. cur scribit Lucas « *cum congregati* essent, *interrogarunt eum: Si in hoc tempore restitues regnum* », et Matthaeus in fine libri sui [3]: « Ite ergo, baptizate in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Et ego sum vobiscum usque in finem », et amplius nil addiderunt? Et dicimus: Quia voluit Lucas loqui de eius adscensione, et incepit, ubi finivit Matthaeus, non erat opus ei, ut loqueretur de his, quae semel dicta sunt. Rursum,

[1] Luc., II, 22, 23; cfr. *Lev.*, XII, 6 et *Ex.*, XIII, 1. — [2] *Act.*, X, 41. — [3] Matth., XXVIII, 19, 20.

cum dixit Christus ad discipulos suos[1]: « Ego sum vobiscum p. 34. *usque ad consummationem », putarunt eum in aeternum mansurum esse cum ipsis in terra, et ideo dixerunt « regnum Israelis », non autem regnum caelorum aut Dei. Et id quaesiverunt apostoli, quia nondum erant perfecti per Spiritum, et secundum opinionem iudaicam interrogarunt. Putabant Iudaei Christum, cum appareret, fore solum hominem et mansurum in aeternum, et Henoch et Eliae ad instar in vita permansurum; et ideo dixerunt Iohanni[2]: « Nos audivimus e lege Christum mansurum esse in aeternum ». Sperabant etiam fore ut suscitaret illos, qui e Iudaeis primo defuncti erant, ut edant et bibant et matrimonio iungantur et redeant ad primum statum et regnent super omnes populos per Christum qui ortus est ipsis. Et hac fiducia capti Iudaei interrogarunt: « Si in tempore hoc? » et cetera. Quia non poterant portare, non respondit eis secundum quaestionem eorum.

v. 9) *Cum ipsi adspicerent in eum, sublatus est*; h. e. sublatus est in nubibus Dominus noster, ne videretur tractus esse vi, sed sua sponte sicut rex in curru auferebatur et in excelsum elevabatur. *Et nubes suscepit eum*; h. e. et sicut primitiae nobis fuit in baptismate et in resurrectione, sic in adscensione. Et sicut nubes eum suscepit, sic et nos post resurrectionem in nubibus in caelis in occursum eius volabimus, sicut dixit Paulus[3]. *Et occultatus est ab oculis eorum*; h. e. primum sine ope nubis sublatus est, ut sciant eum ipsum adscendisse, et non sicut Eliam indiguisse curru; et postea opertus est ut discamus non locum currus tantum implevisse nubem, sed etiam apostolos, quominus intuerentur in eum, impedivisse.

p. 35. v. 10) **Et apparuerunt duo viri in vestimentis albis*; h. e. quia apostoli erant impediti a nube, quominus viderent salvatorem nostrum, in cogitatione sua fingebant et in adspectu suo in caelos intuebantur ut viderent illud cum aperiretur coram Domino nostro. Tunc angeli mandato divino in forma hominum apparuerunt, quia non possent aliter videri ab hominibus. Et sua repentina statione apud apostolos, in stuporem eos iniecerunt, atque splendore vestimentorum suorum

[1] MATTH., XXVIII, 19, 20. — [2] IOH., XII, 34. — [3] I *Thess.*, IV, 17.

averterunt eos ab adspiciendo caelo, quia conabantur videre quod non poterant videre.

v. 11) *Viri Galilaei!* Syri![1] h. e. vocabant eos nomine locorum eorum ut sciant quod non sint peregrini aut alieni, sed noscunt qui et unde sint, et inde accipiatur doctrina eorum. *Sic veniet*; h. e. in hoc corpore quo indutus est, veniet in secundo adventu suo, quoniam non mutatur aut convertitur.

v. 12) *Reversî sunt Ierusalem a monte Olivarum, qui distat ab ea circiter septem stadiis*; h. e. mille passibus, quantum licebat Iudaeis progredi die sabbati.

v. 13) *Adscenderunt in caenaculum*; h. e. in quo manducaverant pascha.

v. 18) *Acquisivit sibi pagum e mercede suae iniquitatis*; h. e. dicitur « pecunia » de auro et de argento; apud Iudam fuit aurum, quia si argentum fuisset, non satis fuisset ad emptionem pagi; sic et apud Iosephum, et apud Abraham quadringenta « pecuniae » argentum fuit.

v. 26) *Et iecerunt sortes*; h. e. usi sunt apostoli sortibus in electione, quia nondum acceperant donum Spiritus; neque sunt praestantiores sortes. Dicit enim Mār Iohannes in explicatione epistulae ad Ephesios[2]: « Sors res *fortis est, non voluntatis p. 36.
aut virtutis; nam ignorantiam habet et casum ». Rursum dicimus, sortem duplíci modo sumi: uno, secundum quem iaciunt homines inter se, et secundum quem iecit Iosua filius Nun: et id vocat Iohannes rem casus. Alter modus fit e dono et e revelatione divina, sicut in negotio Matthiae. Et quidem sortem peṣtā et pessā appellat Scriptura donum principatus divini, et notum est eo quod dixit Petrus de Iuda: « Obtigit ei sors nobiscum », cum sane non est missa ibi sors consueta a Domino nostro super apostolos.

v. 26) *Et adscendit in Matthiam*; h. e. etiam hoc opus fuit gratiae ut ante descensum Spiritus compleretur numerus perfectus duodecim.

[1] Sic cod.; sed fortasse legendum « Syrus », i. e. versio syriaca, cuius testimonium exciderit. — [2] *Patr. Gr.*, LXII, 9.

[Caput II].

v. 1) *Et postquam impleti sunt dies Pentecostis*: h. e. plenitudinem dierum Pentecostis appellat completionem septem hebdomadum, i. e. septem hebdomades cum per dies enumerantur efformant *pentecostem*, seu diem quinquagesimum, uno excepto efformant septem hebdomades. Et hoc die quinquagesimo, in fine septem hebdomadum Iudaei festum agebant. Nobis autem est haec dies festum Spiritus sancti; et illi agebant festum legislationis, datae per Mosem, et nobis est festum manifestans Trinitatem perfectam. Et Hebraei diligebant numerum septimum et in omnibus [Sabbatis] faciebant festa. Et [septem] hebdomades annorum generabant eis hunc [annum] iubilaei, hoc est « Domini Dei »: h. e. i ū b in lingua hebraica « dominus » interpretatur, et ē l « Deus »; ergo annum Domini Dei hunc vocabant in quo permittebant terras unicuique.

p. 37. Et numerus dierum generabat *Pentecosten. Multum quippe celebratur in Scripturis numerus septimus: Sabbatum numero septimo ordinatur; et « septies in diem laudem dico tibi »[1]; et septem dona Spiritus[2]; et septem lampades Zachariae[3]; et inimici ad septuplum poenam luent[4], « purgatum septuplum »[5].

Quare eo die quo data est lex, requievit etiam Spiritus in apostolos? Et dicimus: Ut ostenderet datorem legis ipsum esse datorem Spiritus. Tria festa agebant Iudaei: Paschae, Pentecostis, in quo data est lex mense ḥ e z ī r a n (iunio), et Tabernaculorum. Et in his tribus festis Iudaei ab omnibus locis Ierusalem congregabantur. Dominus noster passus est in Paschate, cum omnes aderant; postquam autem surrexit, non apparuit omnibus hominibus, et ideo necesse fuit ut dum omnes congregati erant in festo Pentecostis, descenderet Spiritus sanctus, ut affirmaret resurrectionem in apostolis et in illis qui congregati erant, quia descensus Spiritus demonstratio est quod Christus surrexit. Et sicut olim post septem hebdomades exitus populi dedit eis legem, idem spatium nobis fuit apud Christum. Volebat ut recedamus a malitiis, et cum id non fecerit

[1] *Ps.* cxviii, 164. — [2] Cf. Is., xi, 2. — [3] Zach., iv, 2. — [4] Cf. *Lev.*, xxvi, 18. — [5] *Ps.* xi, 7.

lex ob infirmitatem suam, necessario data est eadem die lex nova, valens iustificare Populum et Gentes, quae vice tabularum in cordibus scripta est. Et sicut in illa die metaphorice tres revelavit in illo [1]: « Dominus Deus tuus Deus unicus est », h. e. per duas appellationes Domini et unam Dei, mystice tres personas indicavit, et per illud « unus est » consubstantialitatem et unitatem divinitatis, et in decem praeceptis docuit nos excellentiam morum; ita et in hoc die revelavit nobis mysterium trium personarum et docuit nos praestantiam morum.

Cum congregati essent **omnes*; h. e. in Ierusalem, apostoli p. 38.
et hi qui cum eis erant, in caenaculo. Omnes perseverabant in ieiunio et in oratione et exspectabant Spiritum.

Cur decem dies sunt inter adscensionem et Pentecosten? Et dicimus: Quemadmodum non statim, postquam surrexit, adscendit, ita neque statim ac adscendit, fuit descensus Spiritus, ne acceleratio eorum quae accidebant, turbaret mentem eorum, ut essent in commemoratione resurrectionis et adscensionis, et pararent se in exspectatione cum timore Dei ad recipiendum Spiritum. Rursum, quemadmodum numerus decem perfectus est, ita etiam Spiritus qui post decem [dies] donatus est, perfectus est et perfectos eos ostendit. Rursum, apud singulos ordines diem unam mansit Christus in adscensione sua, eos mystice edocens oeconomiam suam, et cum explevisset novem dies apud novem ordines, die decima apparuit corporaliter Patri; et misit Spiritum ea die. In caenaculo acceperunt Spiritum, quod indicat exaltationem e terra ad caelum eorum qui recepturi sunt donum.

v. 2) *Factus est subito e caelo*; h. e.: e caelo factus est sonus quidam, ex eo loco quo Deus maxime operatur et ubi dicitur habitare, quod . . . . Matthaeus [2], et quemadmodum scriptum est [3] eum « de caelo dare vocem fortem », ut ostenderet qui excelsus est super omnia, ipsum esse qui descendit. Rursum, ut e loco, in quem adscendit Christus, fiat sonus, ut notum sit quod ipse hunc perficiat. *Subito*; h. e. quemadmodum in prima creatione voluit et subito constitutae sunt omnes creaturae, sic etiam in creatione altera, voluit et renovavit illos

[1] Comp. *Deut.*, VI, 4. — [2] Locus corruptus; fortasse alludit ad MATTH., XXIII, 22. — [3] Cf. *Ps.* XVII, 14.

qui eius sunt motu veloci qui celerior omni ictu oculi apparuit. *E caelo*; h. e.: et quomodo e caelo sit qui omnia implet? p. 39. Et dicimus: sicut e loco in quo putatur *esse. *Et sonus sicut venti vehementis*: h. e. noli intelligere materialem sonum, alioquin quidquid sub caelo est movisset et subvertisset. *Sicut venti vehementis*: illud « vehementis » pro validi dicit. Quod vehemens fuit, ne ad vim auditus referas, sed ad illos qui eum receperunt. Rursus, *sonus tamquam venti*; h. e. sonus terribilis fuit e caelo, qui fortior erat omnibus tonitribus sicut vehemens flatus venti, qui cum magna vehementia auditur. Illud « vehementis » pro fortis dicit. Et demonstrat desuper et de caelo descendisse Spiritum sanctum. Demonstravit per sonum quod possit virtus eius tenere et dirigere omnia. Subito factus est sonus: indicium est velocitatis et celeritatis, in qua omnia pertransit spiritus, nec impeditur aliquomodo adimpletio voluntatis eius. « Spiritus ubi vult spirat »[1], et cum voluntate sua, in celeritate inaccessibili, quidquid vult ad finem adducit.

Et repleta est ab eo tota domus; h. e. splendore gloriae Spiritus, inspiratione et luce eius repleta est domus splendore; ut intelligant, si domus illa, in qua divisa sunt dona, illuxit radiis donorum, quanto magis animae quibus conferantur dona illustrabuntur magna gloria eorum operationis quae decies millies magis quam sol lucent et resplendent.

v. 3) *Et apparuerunt eis linguae*, consequenter quasi linguae dispertitae ignis visae sunt, quae *assidebant in unumquemque eorum*. Quod divisae erant linguae, demonstrat varietatem linguarum; non enim loquebantur unam linguam, sed plures, et linguae suae non sunt obliti, sicut illi qui erant in turri. *Et divisae sunt*: h. e. tribus modis dicitur « lingua »: dicitur « lingua carnis », ut in illo[2]: « Lingua eorum uti gladius acutus ». Dicitur « vox » quam profert lingua, secundum illud[3]: « Fuit universa terra unius linguae et unius p. 40. sermonis », *et « linguam quam non noverat, audivit »[4]. Et appellantur linguae « ignis » sicut ille qui requievit in apostolos. Linguam hic appellat splendorem quemdam igneum, qui, quemadmodum lingua ab igni communi se separat, ita se separabat et descendebat in unumquemque eorum. Linguam

[1] Ioh., III, 8. — [2] *Ps.* LVI, 5. — [3] *Gen.*, XI, 1. — [4] *Ps.* LXXX, 6.

igneam Spiritum appellat; sicut lingua proxima est sermoni, ita Spiritus Filio. Lingua quidem propter eius familiaritatem ad Verbum, et quia ipse est creator sermone praeditorum et dator sermonis. Et rursum, quia per linguas suas captivam fecerunt apostoli omnem mentem in obedientiam Christi et evangelii eius. Simul etiam ut corrigeret antiquam rebellionem. Homines enim post diluvium malam cogitationem habuerunt, et aedificarunt turrim, ut adscenderent ad caelos, et cum Deo pugnarent; cum una esset tunc lingua eorum, tum mutavit Deus linguas eorum et impedivit eos ab opere malo et impio. Ita autem dedit varias linguas, ut ostenderet quod tunc divisit linguas eorum, quia unanimes erant ad perficiendum opus malum; nunc vero per divisionem linguarum homines tracturi et iuncturi erant Deo eis proponentes spem resurrectionis et adscensionis in caelum. Et quod male peractum est in illo tempore, nunc datum est in timore Dei; h. e. ut per virtutem eleventur et adscendant in caelum. *Sicut ignis*; h. e. hoc significat non minui gratiam Spiritus, quando venit ad fideles per apostolos, quia talis est natura ignis; accendit enim homo ex una lampade quotquot velit, et omnino non deminuitur aut minor fit illa prima; sic, qui accipiunt baptismum aut sacerdotium, implentur gratia Spiritus, quam non possidebant; et hi per quos accipiunt eam, nullomodo deminuti sunt per receptionem illorum. Ignis rursum propter *purgationem, et propter consubstan- p. 41.
tialitatem et unionem in natura, et processionem non temporalem nec passivam. In apparitione ignis rursum requievit Spiritus, ut innuat hoc [1]: « Ignem veni mittere in terram », et ut manifestaret operationem ignis qui illuminat animas claritate sua et comburit surculum peccati [2].

Et sederunt in unumquemque eorum; h. e. significat quod non diminuitur ab eis gratia, et requiem in eis docet, quemadmodum scriptum est de Salvatore nostro [3]: « Mansit super eum Spiritus », h. e. quod non recessit ab eo; ita etiam super apostolos sedit et requievit et habitavit. Rursum, sedes significat regiam dignitatem et requiem in sanctis.

Cur super Christum in specie corporis columbae descendit Spiritus, super apostolos autem tanquam lingua, seu pars quae-

[1] Luc., xii, 49. — [2] Cf. Is., iv, 4; vi, 6; I Petri, i, 7. — [3] Ioh., i, 32.

dam corporis? Et dicimus [1]: Quia ille dominus est, et nihil deficiens, et perfectus, descendit super eum Spiritus in forma corporis perfecti; super apostolos quasi pars corporis descendit, ut manifestaret eos servos esse. Rursum, super Filium descendit sicut columba ut indicaret totam personam Spiritus descendisse in eum, et non tantum eius operationem. Animal enim perfectum est columba; et ex omnibus avibus quae solent volare et findere aerem, sola consentit habitare cum hominibus et dare illis fructus suos.

v. 4) *Et coeperunt loqui*; h. e. quasi diceretur: exorsi sunt loqui in omnibus linguis per donum quod acceperant.

p. 42. v. 5) *Erant viri, timentes Deum, habitantes *Ierusalem*; h. e. propter captivitates quas olim passi sunt [2]. (Descenderunt in Aegyptum cum patribus suis, et deinde Babylonem, et postea in Assyriam; et qui descenderant in Aegyptum, et Babylonem, et in Assyriam, redierunt denuo. Captivitas autem Antiochi non fuit gravior et etiam limitata fuit; illa autem Romanorum adhuc futura erat. Itaque Ierusalem tribus vicibus in captivitatem ducta est, et Iudaei quattuor et Israel quinque). Et e familiis quae dispersae sunt in gentibus, sicut scripsit Esdras [3], reversi sunt et venerunt ad festum. Et vocat eos habitatores, quia honorificum erat ibi habitare, sicut Paulus reliquit Tarsum et erat ibi habitator. *Timentes Deum* vocat eos, quia praestantes erant et quasi ad locum, qui assignatus est a Deo ad orationem, congregati sunt; secundum illud [4]: « Hierosolymis oportet adorare », et [5]: « Quando veniam et adspiciam facies tuas? », et: « Quomodo possimus canere laudes in terra aliena? ».

v. 6) *Et cum factus est sonus ille*; h. e. quando audierunt sonitum, cum Iudaeis, qui adscenderant ad festum, convenerunt illuc. *Congregatus est totus populus et commotus est*; h. e. convenerunt omnes, irruentes et festinantes adire locum propter miraculum. Et cum domesticis venerunt habitatores quoque qui e variis locis ibi commorabantur. *Quia audiebat unus-*

[1] Hic in margine cod. Lond. habet: Dicunt Theologus in homilia de Pentecoste et Philoxenus in homilia quarta de Spiritu: « prophetae gratiam et vim Spiritus acceperunt ante crucem; in Pentecoste apostoli personam perfectam Spiritus acceperunt ». — [2] Verba uncinis inclusa interpolata videntur. — [3] Esd., ii. — [4] Cf. Ioh., iv, 20. — [5] *Ps.* xli, 3; cxxxvi, 4.

quisque eorum; h. e. audiebant apostolos et ceteros qui cum eis, loquentes variis linguis. Stupebant, quomodo, cum Galilaei essent et in una lingua educati, varias linguas loqui possint? Et nemo erat in illis, qui ex omni loco congregati erant, qui non audiret eos loquentes linguam loci sui.

v. 7) *Et mirabantur, dum* . .; h. e. eo quod diversimode, in linguis *cuiusque loci loquerentur, quivis eorum in omnibus p. 43. linguis loquebatur. Et notum est ex eo quod dixit Paulus [1]: « Gratias ago Deo quod prae omnibus loquor linguis », et iterum [2]: « Si ergo congregetur ecclesia in unum et omnes linguis loquantur ». Et testatur hoc Iacobus [episcopus] Batnān, Sarugensis, in homilia de divisione linguarum: Spiritus electus qui subito audiebatur, fuit praeceptor et docuit eos omnes linguas: veruntamen scripturam unusquisque illius loci in quem missus est, tantum didicit, et etiam lingua illius loci in quem missus est, specialis erat ipsi, et melius quam alias linguas notam habebat. Et testatus est hoc Mār Iacobus [Sarugensis] in homilia de Addai et Abgar.

v. 9) *Parthi*; h. e. Parthos et habitatores civitatum ad ripas Euphratis nominat.

v. 11) *Loquentes linguis nostris*; h. e. linguis omnium populorum loquebantur, praedicantes regnum caelorum. *Mirabilia Dei*; h. e. mirabilia appellat oeconomiam quam egit Christus eo quod baptizatus est, tentatus est, ieiunavit, docuit, fecit virtutes, passus est, surrexit et adscendit in caelum.

v. 12) *Quid est illa res?* h. e. quae est causa huius rei? ad quid facta est?

v. 13) *Mustum biberunt*; h. e. alii invidia sua dixerunt vinum novum eos bibisse et ebrios esse, et rem mirabilem effectum ebrietatis appellabant, et quod loquerentur linguis alienis, putabant causam esse potationem vini, cuius ob abundantiam et novitatem linguis uterentur! Ignorabant miseri quod, quamvis invidia haec dicerent, tamen veritatem confitebantur: mustum enim vinum illud novum est [3], doctrina scilicet Spiritus quam cum accepissent apostoli, liberati sunt ab antiqua doctrina et novi facti sunt, et ex illo vino potaverunt apostoli Gentes easque converterunt ad fidem.

[1] Cf. I *Cor.*, XIV, 18. — [2] I *Cor.*, XIV, 23. — [3] Cf. MATTH., XXVI, 29.

p. 44. v. 14) **Postea surrexit Simeon cum undecim*; h. e. ut in unanimitate stationis viderentur cum eo participes esse sermonis. *Elevavit vocem suam*: h. e. ut confirmaret eos super id quod factum est. *Viri Iudaei et omnes illi qui habitant*; h. e. habitatores civitatis et omnes illi, qui e longinquo congregati estis propter festum. *Hoc notum sit vobis*; h. e. studiose audite verba mea! Et ante omnia necesse est vobis ut sciatis quod verum est.

v. 15) *Non enim, quomodo vos putatis, isti ebrii sunt*; h. e. isti longe sunt ab ebrietate, etiam multoties illud opinati estis; et id sufficienter vobis manifestat ipsum tempus: *Tertia est hora*: h. e. tertia hora tantum est in die et nondum sumpserunt cibum, quomodo vinum biberint? neque e potatione vespertina sic vertigine caperentur; ergo ipsum tempus liberat eos ab omni suspicione. Hora tertia requievit in eos Spiritus ut ostenderet se illustraturum mentem eorum in mysterio Trinitatis. Ad eos qui reverenter interrogabant, quid hoc esset, respondit Simeon:

v. 16) *Hoc est quod dictum est per Ioelem*[1]; h. e. donum Spiritus; et testem adhibet prophetam. Et qui dixerant invidia ebrios esse, redarguit eo quod non erat adhuc nisi tertia hora. Et demonstrat etiam quo tempore futura erant quod dixit Ioel; h. e. *quando fient signa in caelo et virtutes* [super terram], haec nempe quae evenerunt in passione salutari.

v. 17) *Erit in novissimis diebus*; h. e. in novissimis temporibus finis mundi. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*; h. e. promisit Deus hominibus per Ioelem gratiam Spiritus, quam effundet adeo copiose ut vaticinarentur viri et mulieres; id indicat illud: *Filii vestri et filiae vestrae. Iuvenes*
p. 45. *vestri *visiones* [videbunt]; h. e. senes et iuniores quos appellat « iuvenes », videbunt visiones; si dormiunt, per somnia, et si vigilant, per visiones.

v. 18) *Super servos meos et ancillas meas*; h. e. viris et mulieribus qui in se susceperunt servitium meum, dabo gratiam Spiritus, qua *vaticinabuntur*; h. e. enarrabunt, non de rebus proximis, sed de futuris. Prophetiae proprium est cognoscere et dicere futura.

[1] IOEL, II, 28 seq. (*Hebr.* III, 1).

v. 19) *Signa in caelo et virtutes in terra*; h. e. illae res quae acciderunt in crucifixione. *Sanguis et ignis*; h. e. per « sanguinem » indicat passionem, in qua acciderunt signa mirabilia: nam terra contremuit, sepulcra aperta sunt et mortui surrexerunt; saxa scissa sunt, et luminaria obscurata sunt [1]. Per « ignem » innuit gratiam Spiritus, quae tunc donata est post passionem. *Et vapor fumi*; h. e. in monte Sinai, cum se revelavit, densus erat fumus in medio ignis, quod erat manifestatio terroris ut terreatur populus. Hic dicit *vapor fumi*; h. e. fumus parvus aut quasi vapor fumi cum igne conspiciendus, ut inde etiam discrimen inter haec et antiqua cognoscatur; nam in lege ira imminebat, secundum illud [2]: « Operator irae », et rursum [3]: « Littera occidit », et ideo fumus magnus erat illic. In igne fuit hoc prodigium qui manifestaret per lucem concessionem bonorum et solutionem malorum. Fumus hic parvus fuit, quia etiam tremor paucus hic fuit, pro admonitione hominum, et modo congruebat poena ut illa domus Ananiae [4] et Elymae [5].

v. 20) **Sol convertetur in caliginem et luna in sanguinem*; p. 46.
h. e. signa crucis innuit, cum sol et luna defecerint. « In sanguinem », quia talis apparet lux lunae, quando obscuratur.

v. 21) *Antequam veniat dies Domini*; h. e. dies adventus ultimi, quia antequam accidat finis universi, fient haec quae acciderunt in crucifixione. *Et erit: omnis qui invocabit nomen Domini, vivet*; h. e. docet, quid sit commodi ex his quae supra dicta sunt, quando fient. Qui admonitionem ex his accipiunt et festinant auxilium quaerere in Deum Salvatorem et credent in eum, vitam aeternam haereditate accipient. Et postquam solvit dubitationem Iudaeorum de Spiritu sancto, per testimonium Scripturae, convertit sermonem ut loquatur de Filio incarnato cuius gratia dono Spiritus sancti digni facti sunt.

v. 22) *Verba de Iesu Nazaraeo, viro qui a Deo visus est*; h. e. loquitur hic oeconomice, quia non poterant percipere. « Vir qui a Deo visus est » ; h. e. absconditus qui manifestatus est in carne in mundo, et suscepit in seipsum passiones et crucem, Christus erat, et ipse [6] « in principio erat Verbum et

[1] Matth., xxvii, 51 sqq. — [2] *Rom.*, iv, 15. — [3] II *Cor.*, iii, 6. — [4] *Act.*, v, 1-11. — [5] *Act.*, xiii, 11. — [6] Ioh., i, 1 et i, 14.

Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». Et postquam factum est et natum est in carne, appellatum est nominibus altis et vilibus, cum unus sit aeternus, qui factus est temporalis sine mutatione. Ideo vocatus est « filius hominis » et « vir », quia inhumanatus est et incarnatus est ; et « angelus » et « propheta », quia manifestavit futura et abscondita ; et « Iesus », quia salvavit nos. Diversimode apostoli verbum de Christo usurpabant, prout Spiritus sanctus instruebat eos. Initio suae praedicationis non rigorem doctrinae tradebant, sed sicut lac p. 47. pueris, ita *in initio evangelii, et secundum opinionem Iudaeorum qui putabant simplicem hominem fore Christum, et non Deum incarnatum, nominibus humilibus usi sunt. Dixit Mār Ephraem : « Initio illis praedicarunt eum hominem, ut quasi lac traderent illis evangelium ». *In signis et portentis*; h. e. quae virtute divina completa sunt, alta et sublimia : sanavit infirmos, suscitavit mortuos, fugavit daemones et alia, quae vos scitis, neque quae in crucifixione eius acciderunt latent vos.

v. 23) *Hunc qui destinatus erat ad hoc* ; h. e. quia in voluntate Patris eius erat, ut descenderet Filius eius et gustaret mortem in carne et salvaret omnes. Et non ob infirmitatem traditus est in manus vestras; sed haec providentia servabatur in voluntate Patris, ab aeterno, in salutem creaturarum; etsi vos non iuste usi sitis ea, sed voluntatem homicidam ostendistis, et ligno affixistis in carne datorem vitae.

v. 24) *Deus vero suscitavit eum, et solvit vincula*[1] [inferni]; h. e. cum non esset possibile ut detineretur in š e o l et in morte, quia Deus sua natura est, immo solvit vincula inferni, hoc est mortis virtutem, quia natura sua vivus est, et incorruptibilis prout Deus. Hoc quod dixit « suscitavit eum Pater », humano modo et secundum infirmitatem auditorum dictum est, et quemadmodum dicitur « induit corpus », ita suscitatum esse a Patre dicitur, cum non partirentur in eo sublimia et humilia apostoli personae et personae[2], secundum garritum Nestorianorum et Chalcedonensium, sed uni eidemque dant omnia, divina et humana.

v. 25) *David enim dixit*[3] : « *Praevidebam Dominum* p. 48. *meum* »; h. e. ex *quo manifestavit id praecessisse in volun-

[1] Sic in sensu auctoris; textus « dolores ». — [2] In alia lect. « naturae et naturae ». — [3] *Ps.* xv, 8.

tate Patris et Spiritus, et ipsius Filii, ut descendat, fiat homo et gustet mortem et solvat vincula inferorum, et cetera.

v. 33) *Ipse est qui dextera Dei elevatus est*; h. e. cum dextera Patris sit Christus, virtus et sapientia Patris, dextera Patris elevatum esse dicitur, aut quasi ad honorem Patris, aut quoad carnem, aut ut ostenderet ipsum se suscitasse. Et dixit: *Ipse est qui effudit donum hoc quod ecce vos videtis et auditis.* Tota ratio expositionis ad hanc sententiam spectat: Ascende enim in mente tua illuc, ubi alii dicebant: Quid est hoc? et alii deridebant, et iunge hanc sententiam: « Ipse effudit donum hoc sublime » sententiis illis, et sic apparebit responsio recta.

v. 36) *Sciat omnis Israel quod Dominum et Christum fecit eum Deus*; h. e. cum enim habeat dominationem cum Patre suo, quia factus est homo, Patrem eum fecisse Dominum creaturarum dixerunt apostoli secundum usum sermonis humani. Ne offendantur haeretici quod « Dominum et Christum » fecerit eum, non enim ex illo « fecit eum » intelligendum est « creavit eum »; scriptum est enim in Scriptura: « Hoc tempore filios faciam », et « animas quas fecit in Ḥarran [1] », et nemo dicit quod possit quis facere aut creare animas, sed sensus huius sententiae talis est: Dominum et Christum [fecit eum Pater], quasi quis diceret regem filium suum iudicem fecisse. Aut vero litterae Scripturae inhaerentes [2], quod absurdum est intelligunt, nempe: Dominus et Christus Deum fecit Iesum, ita ut sit Iesus alius ac Dominus et Christus, et Christus sit ille qui fecerit Iesum Deum, et ita ut fuerit Iesus ante unctionem et dominationem, et mendax sit verbum angeli dicentis [3]: « Natus est vobis hodie Dominus Christus ».

v. 42) **Et communicabant in oratione et in fractione* p. 49.
eucharistiae; h. e. gratiarum actionis; receptionem et usum sacramentorum innuit his verbis.

v. 43) *Fiebat timor in omni anima*; h. e. per signa et prodigia quae ab apostolis fiebant; quia mirabilia erant, necessario, quando videbant quae operabantur, terrebantur.

v. 46) *Domi frangebant hostiam*; h. e. panem mysterii appellat hostiam. In domibus hoc perficiebant et *accipiebant*

[1] *Gen.*, xii, 5. — [2] Locus obscurus et fortasse corruptus. — [3] Luc., ii, 11.

cibum laetantes; h. e. post sacramentum accipiebant cibum profanum, et in gaudio erant propter spem bonorum futurorum.

v. 47) *Et in simplicitate cordis sui laudabant Deum*; h. e. in simplicitate cordis ducebantur, contemnentes visibilia et appetentes futura, et in simplicitate animae suae ad invicem cohaerebant. *Et Dominus noster augebat cotidie illos qui vivi facti sunt in ecclesia*: h. e. eo quod multi ad fidem appropinquabant et e multitudine eorum augmentum perpetuum ecclesia accipiebat; h. e. congregatio fidelium quam appellat « ecclesiam ». Ante illa dixit [1]: « Quasi tria milia animarum credebant et baptizatae sunt ».

[Caput III].

v. 1) *Et factum est cum adscenderent Simeon et Iohannes ad templum*; h. e. ad templum adscendebant quasi ad locum assignatum adorationi Dei. *Tempore orationis horae nonae*; h. e. in illa hora erat precatio, et adscendebant secundum consuetudinem in templum, nam supra dixit illos qui credebant, in templum convenisse.

v. 4) *Intuere nos!* h. e. quia ille claudus simpliciter postulabat eleemosynam, sicut illi qui consueti sunt haec facere, qui
p. 50. petunt, sed non investigant, num possit ille quem *deprecantur, dare an non. Et hoc modo postulabat a Simeone. Hic vero dicit: *Intuere nos!* h. e. ut animadverteret beneficium et excitaretur verbo eius, et revocata sit mens eius, recollecta ab omni loco. Et quum in eos defixisset intuitum suum, dignus habitus est sanatione. Quod autem dixit « Simeon cum Iohanne », docet concordiam quam habebant. Et licet sit unius verbum, tamen omnium erat; qui loquebatur, vice omnium loquebatur, et ideo: Respice « in nos! » dixit communiter, et non: In me, ut indicaret eorum concordiam.

v. 5) *Hic autem intuitus est eos*; h. e. claudus intuitus est, cum exspectaret ut aliquid magnum ab ipsis acciperet.

v. 6) *In nomine Iesu Nazaraei surge*; h. e. tu ergo qui ab utero matris privatus es facultate ambulandi, et sedere tantum vales, surge praeter consuetudinem, testimonium red-

[1] Vers. 41.

dens per erectionem tuam et stuporem incessus tui de miraculo resurrectionis. Vice nominis « Dei » aut « Adonaï » in nomine Iesu Nazaraei dixit, ut cum viderent in nomine illo vili et contemptibili apud eos fieri miracula, credant eum esse Deum qui super omnia est.

v. 7) *Et apprehendit eum manu eius dextera et erexit eum*; h. e. quia non credidit ante experientiam, quod possit surgere ad verbum, ideo apprehendit eum manu eius; sed ille statim ac sanatus est, saliit et surrexit et ingressus est in templum. Saliebat sane prae gaudio suo et laudabat Deum pro iis quae ipsi facta sunt.

v. 10) *Et agnoverunt quod*; h. e. et hoc per operationem Dei factum est illi, quia omnibus notus erat, eo quod ad portam continuo erat, ut omnis populus sciret miraculum quod factum est. Fecit Deus ut esset primum signum id quod factum est: primo, quia *claudus assidue erat in templo et notus omni- p. 51.
bus, et secundo, quia ob longum spatium annorum eius nemo erat qui de eo dubitaret. Et sanatus est hora nona: ita ut ab omnibus videatur et credant multi, quia secundum consuetudinem congregabantur eo tempore.

Post hoc miraculum surrexit Simeon, praedicavit et admonuit; et dixit Lucas [1] multos qui audierunt, credidisse: *et erant numero quasi quinque milia virorum.*

[Caput IV].

v. 1) *Et praefecti templi*, Graecus: s t r a t e g o i; h. e. quibus ordo templi commendatus erat.

v. 7) *In qua virtute aut in quo nomine fecistis?* h. e. non quia ignorabant quod in nomine Iesu Nazaraei hoc fecerunt, interrogarunt eos, sed sperabant ut coactione tribunalis, per hanc formulam interrogationis terrore perculsi Christum negarent.

v. 11) *Hic est lapis quem repudiastis vos aedificatores*; h. e. vos quibus commissum est aedificium religionis, et quasi lapidem ignobilem qui non sit aptus ad religionem, repudiastis eum; in loco lapidis angularis factus est, quia sicut iste duas

[1] IV, 4.

parietes ligat et unit, ita ille per fidem in eo ligavit populum et Gentes, et facit eos unum templum in habitaculum Spiritus.

v. 31) *Et cum orassent et deprecati essent, commotus est locus in quo erant congregati*: h. e. commotio illa significabat abrogationem potentiae Iudaeorum, et omnia legalia finem habere, templum solvendum et populum gladio periturum.

v. 35) *Et deponebant ad pedes apostolorum*: h. e. apportabant pecuniam apostolis, ut manibus eorum administraretur; ad pedes, et non in manus, quasi non par erat ut in manus sanctas poneretur.

p. 52. v. 36) **Ioses*, in Pešiṭṭá « Ioseph », *ille qui cognominatus ab apostolis Barnaba, quod interpretatur « filius consolationis »*, *Levita*: h. e. propter clementiam et comitatem morum eius eiusque conversationem suavem appellarunt eum apostoli « Barnabam », h. e. « filium consolationis » et consolator.

v. 37) *Ille vendidit praedium suum* et dedit pretium eius indigentibus.

[Caput V].

v. 1) *Et vir cuius nomen Ḥanania cum uxore sua Ṡappira* [1]: h. e. quemadmodum initio creationis ante omnia scripsit Moses de sacrificio Cain et Abelis, ut doceret omnes homines conscientiam bonam quae inclinatur ad Deum, ita etiam nunc, initio praedicationis evangelicae loquitur de oblatione eius qui optime obtulit, et de illo qui male. Audite. Ananias enim praedictus cupidus fuit cum uxore sua laudis humanae. Vendiderunt agrum suum et partem pecuniae retinuerunt sibi. Petrus cum sciret Spiritu, quid fecissent, poenam mortis eduxit in eos. Dicit sanctus Athanasius in homilia de cruce [2]: Ceteros apostolos res latebat, Petro verum soli manifesta erat. Poena spoliatorum sanctuarii venit in eos, quia quidquid Deo promittimus, non nostrum est, sed Dei: et si quid ex eo rapiamus, non nostrum sumimus, sed quod Dei est, et in hoc apparemus latrones sanctuarii. Promissio enim aut usque ad donationes est, aut usque ad verbum et voluntatem [tantum].

v. 8) *Hoc pretio vendidistis praedium?* h. e. non quidem

[1] Σάπφειρα. — [2] *Patr. Gr.*, XXVIII, 187.

ignorans interrogavit uxorem, sed ne videretur, cum esset absque peccato, in eam temere inducere poenam pro peccato mariti eius. Quae cum dixisset hoc pretio *vendidisse, mani- p. 53. festavit seipsam cum marito malitiae voluntatis participem esse, et exinde iuste cum eo condemnata est.

v. 28) *Vultis vos inducere super nos sanguinem viri illius*; h. e. cum doctrinam vestram stabilitis, populum inducitis ut rebellaret contra Romanos, qui statim venient et devastabunt nostram urbem, et reputabitur ruina loci nostri et caedes populi nostri, ultio sanguinis Iesu, illius, quem nos iuste crucifiximus. Hoc imitatur illud [1]: « Venient Romani et tollent locum nostrum »; ergo illud quod « vos inducere vultis in nos », significat: « Ultionem mortis eius vultis a nobis sumere ».

[Caput VI].

v. 1) *Murmurabant discipuli graeci adversus discipulos hebraeos, quod despectui haberentur viduae eorum*; h. e. graecos appellat paganos et proselytas qui facti sunt iam pridem discipuli legis. Curam habebant apostoli de viduis pauperibus et de anibus debilibus quae perseverabant in timore Dei et quibus ministrabantur ex eis quae illis offerebantur. Se exaltabant discipuli hebraei supra eos qui erant ex Gentibus, quippe qui iam ante fidem in Christum secundum legem quae erat a Deo vivebant; gentiles vero inferiores ipsis essent qui conversi erant ab idololatria. Ob hanc causam volebant hebraei discipuli, ut sit maior cura viduis quae ex eorum genere erant; et quae ex paganis erant despiciebantur. Et haec causa suscitavit murmurationem inter discipulos hebraeos et paganos: Dicebant: Ad Christum sicut vos accedimus: non decet igitur ut despiciantur viduae nostrae, sed eiusdem honoris dignae sunt ac vestrae, quia doctrinam Christi professae sunt, et etiam donum Spiritus sicut vos accepimus nos.

v. 2) *Non decet ut relinquamus verbum Dei ut ministraremus *mensis*; h. e. intellige, vir prudens! quomodo laudavit p. 54. verbum doctrinae et admonitionem vulgi supra opus misericordiae erga pauperes!

[1] Ioh., xiv, 48.

v. 3) *Exquirite ergo, fratres mei*; h. e. non vocarunt eos « filios » aut « discipulos », sed « fratres », quod est signum humilitatis, et indicat quod eos qui pares sunt sibi honore, alloquuntur. *Et seligite septem viros*; h. e. seligite septem viros; numerus impar et non par, ut si eveniat quod oriatur lis inter eos circa res ab ipsis tractandas, consilium plurium firmaretur; si vero numero pari selecti fuissent, res in dubio et sine solutione mansisset. Cum enim esset maioritas in una parte, quod plurium erat, erat servandum; in numero enim impari, si fiat divisio, necessario pars una maior erit.

v. 5) *Et placuit hic sermo*; h. e. acceptum est populo quod dictum est. Et data est illis potestas in electionem eorum qui designandi erant, et exinde institutum est in pluribus locis olim ut populus eligeret sibi caput. *Et elegerunt Stephanum qui erat plenus fide*; h. e. qui ab ipsis rebus talis eis videretur. *Et Nicolaum, proselytam Antiochenum*; h. e. qui e paganismo appropinquavit ad legem, antequam credidisset in Christum. Elegerunt enim partem eorum e Iudaeis, partem e Gentibus, ne sit offensio aut divisio aliqua in eis quae ab ipsis agebantur. Illud « diaconus », non quod non possideret donum sacerdotii aut episcopatus dicit, sed quod huius ministerii curam
p. 55. proprie haberet, et possidebat gradus alios, *sicut Paulus [1] appellatus est « minister », cum esset apostolus; et ipse Christus appellatus est « minister » [2], cum esset Deus et largitor donorum.

v. 8) *Stephanus autem plenus erat gratia*; h. e. addidit initio sermonis de illo quod plenus erat fide et Spiritu sancto, et dein iungit etiam hos alios, ut indicaret huiusmodi opinionem fuisse omni populo de omnibus illis. Excellentior ceteris putabatur Stephanus.

v. 6) *Hi steterunt in conspectu apostolorum*; h. e. quos elegerant adduxerunt ad apostolos. *Et orarunt et imposuerunt eis manum*, ita ut usus ille invaleret, nam auxilio gratiae Spiritus peragebant id quod fiebat.

v. 11) *Nos audivimus eum dicentem verba blasphemiae*; h. e. causam lapidationis Stephani indicavit Lucas eo quod per illam accidit ut praedicatio extra Ierusalem progrederetur, et

[1] *Col.*, I, 23, 25. — [2] *Rom.*, XV, 8.

propterea locutus est de electione eius et de ministratione mensis eius et eius sociorum et de modo quo cum libertate locutus est Iudaeis de multiplici providentia Dei ab initio, et de vocatione Gentium. Duo crimina ei imputarunt: quod enim dixisset templum et locum destruenda esse, et quod mutarentur consuetudines mosaicae. Et respondit eis: Abraham in loco alieno accepit promissionem et fuit dignus revelationis. Et Iosephus in loco impuro explicavit somnia, et fratres eius ad eum descenderunt; h. e. non damnum passi sunt a loco, sed meruerunt experiri providentiam Dei. Et Moses in loco impuro educatus est et postea apparuit probatus. Et Abraham et Isaac et Iacob sine lege et consuetudinibus mosaïcis accesserunt ad cultum Dei, et pariter Iosephus *et Moses. Et templum ultimo aedifi- p. 56.
catum est, postquam in tabernaculo per tempus adoraverunt priores qui non sunt deminuti, quod non viderunt templum. Et postquam ostendit non esse necessarium templum et locum, et legem multo iuniorem esse, indicat esse inutilia, et priores absque templo et lege victores fuisse. Et vocat eos « duri cervice », quia non intellexerunt quae scripta erant, nempe legem abolendam esse; et secundum accusationes eorum etiam explicationem suam fecit. Ideo redeamus a capite ad textum libri et per singula verba explicemus.

v. 15) *Et adspexerunt vultum eius quasi vultum angeli*; h. e. gloriosus et plenus splendore videbatur eis; et id fecit gratia ad confusionem accusatorum et iudicum.

[Caput VII].

v. 2) *Viri fratres et patres nostri*; h. e. coaevos suos vocat fratres, et seniores patres; indicat se cum familiaribus loqui.

v. 6) *Et malis afficient eum per quadringentos annos*; h. e. in Aegypto non servierunt per quadringentos annos, sed numerat quadringentos annos a tempore quo erant in terra Canaan. Et dicit non damnum passi sunt eo quod habitarunt in terra aliena; non enim locus impedit providentiam Dei. Et etiam domus Abraham in peregrina (regione) habitavit et egregio modo vixit. Ad vigilantiam populi providebat locus ut in eo constituti etiam inviti manserint in moribus legis.

v. 8) *Dedit eis foedus circumcisionis*; h. e. foedus circum-

cisionis dedit Abrahae ut hoc sigillo universum genus conservaretur, etiamsi se averterit a virtute; et ideo dedit signum in eo loco quod est membrum propagationis et generationis, ut notum sit creatorem omnium dedisse ipsi filium praeter p. 57. exspectationem, et per sigillum illud cognoscant *curam Dei erga ipsos et celebrent adiutorem suum. Cura enim Deo erat de gente propter illum qui ex ea oriturus erat secundum carnem, h. e. Christum.

v. 9) *Invidia moti sunt in Ioseph fratres eius et venumdarunt eum*; h. e. haec inseruit sermoni suo eo quod accusarent eum [quod dixerit] Iesum venturum ad perdendum locum; narrat de Ioseph quidquid circa eum factum est in Aegypto. Non est destitutus providentia divina propter locum eo quod dignus erat, et nihil profuit eius fratribus habitare in hoc loco. Sed propter malitiam suam vituperabantur. Postquam indicavit neque locum nec templum quidquam proficere ad religionem, et tempore Mosis in tabernaculo ministrasse eos et mirum non esse, si ministerium legale cessaret, dixit:

v. 51) *Vos itaque indociles omni tempore estis*; Pešiṭtâ: *Duri cervice et incircumcisi*; h. e. nunquam vultis auferre a cordibus vestris, auditibus, id est auribus vestris inobedientiam, sed semper in litibus stetistis.

v. 55) *Et hic cum plenus esset fide et Spiritu sancto, intuitus est in caelum*; h. e. et vidit oculo spiritali Deum supra caelum. Sicut Isaias [1]: « Vidi Dominum exercituum sedentem », ita etiam Stephanus operatione Spiritus sancti vidit Deum. *Et vidit gloriam Dei*; h. e. vidit in visione tremenda et gloriosa Deum; *Iesum stantem a dextera*; h. e. quasi in auxilium servi sui; qui enim in angustiis versabatur, auxilium desuper indigebat in succursum. Stationem vero de auxilio usurpare solet Scriptura, sicut illud [2]: « Sta, adiuva nos et libera nos! », p. 58 et [3]: « Sta, Domine, in ira tua »; *et sicut apud nos hi qui a throno diligenter stant ad opus quoddam, ita etiam a dextera vidit eum stantem, parantem auxilium ei. Statio autem et sessio apud Deum diversimode intelliguntur: quod stat, quia firmiter fixus est; quod sedet, quia constans est in bono, et immutabiliter fixus in bonitate. Ubi dicit: « Sedet a dextera »,

[1] Is., vi, 5. — [2] Cf. Ier., ii, 27. — [3] Cf. *Ps.* vii, 7; II *Tim.*, ii, 19.

docet magnitudinem honoris eius ante saecula; hic, statio adiutorium significat; Pater et Filius apparuerunt supra, et Spiritu repletus est Stephanus per quem vidit duas personas: tres igitur personas mente percepit sanctus.

v. 56) *Et video caelos apertos*; h. e. apertura enim caelorum spondet mihi et docet transitum meum illuc. *Filium hominis* appellat Iesum, et quidem significat corpus quod sibi univit hypostatice, in quo glorificatus est, et nunquam dimittet sicut dixerunt haeretici, sed per illud adscensum obtinuit generi nostro in caelum.

v. 59) *Et lapidabant eum*; h. e. cum iam frequens ictum lapidum accipiebat, deprecatus est Iesum qui ei apparebat, et dixit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum*; h. e. ne me alienum facias a communione tecum, sed citius libera me e malitia illorum et suscipe animam meam ad te, ut tecum sim et te videam semper. Et ipse primus post Christum passus est mortem et propterea meruit hanc visionem. Et cum morarentur in lapidatione eius et sentiret bona quibus fruiturus erat post mortem:

v. 60) *Posuit genua et dixit: Ne statuas eis hoc peccatum*; h. e. eis qui mihi causa fuerunt, cur tam magnis bonis delectarer. Et petebat, ne damnum paterentur qui pararunt ipsi *delicias, etiamsi non id fecissent bona voluntate, sed in mali- p. 59.
gnitate. Et in hoc iterum Dominum suum imitatus est, qui oravit pro his qui eum crucifixerunt. *Et cum hoc diceret recubuit*; h. e. pulcre dicit « recubuit », quia somnus est mors illis qui in firma spe futurorum moriuntur.

[Caput VIII].

v. 1) *Et dispersi sunt omnes per vicos*; h. e. postquam dispersi erant multi in regionem Iudaeae et Samariae propter occisionem Stephani, exceptis duodecim qui manserunt Ierusalem propter praedicationem.

Narratur de Philippo, uno e septem diaconis qui cum Stephano erant. Philippus ille, unus e duodecim, mansit Ierusalem cum sociis suis. (v. 5) *Philippus vero descendit in civitatem Samaritanorum et praedicabat Christum*; h. e. docebat oeconomiam in carne Domini nostri, et illa quae fecit. *Et acquie-*

scebant omnibus quae dicebat; h. e. eo quod viderent magna signa quae ab ipso fiebant.

v. 7) *Et spiritus immundi clamabant alta voce et exibant*; h. e. virtutem quae fugabat eos indicabant per magnum clamorem. *Et paralytici et claudi sanati sunt*; h. e. ut propter sanationes horum incolae civitatis cum magno gaudio se traderent Deo [v. 8].

v. 9) *Erat in civitate illa vir, cuius nomen erat Simon*; h. e. de isto dicit Eusebius [1] ipsum fuisse virum Samaritanum e vico Gattan [2], qui diebus Claudii Romae operatus est artificio daemonum signa magicae artis, et reputatus est ille deus. Et erexerunt ei statuam in fluvio Tiberi inter duos pontes, et scripserunt in ea: « Simon deus sanctus », et plures de Samaritanis et gentibus venerabantur eum *uti deum [3], et uxorem quae cum eo circumibat, cuius nomen erat Selene, quae antea Tyri meretricium exercebat.

p. 60.

Hic Simon arte magica seduxerat populum Samariae et faciebat signa, non in veritate, sed in specie; mortuos vivificabat et leprosos mundabat opinione fallaci, sicut fecerunt magi in Aegypto; quae Moses fecit vera erant: quae magi, phantasmata. Et Moses vere mutavit baculum, hi fecerunt ut viderentur baculi quasi mutati essent. Et cum in stuporem Samaritanos iniecisset Simon, aliquid magni eum existimarunt, h. e. *virtutem magnam Dei* [v. 10]; h. e. propter magna signa, ad seducendum apta, artis magicae ad hoc venerunt, ut id de illo praedicarent; sed cum apparuerunt eius prodigia phantasmata esse, illa autem Philippi vera, nam sanabat infirmos et valetudine donabat, et eiiciebat daemonia, aperte adhaeserunt Philippo.

v. 13) *Etiam ipse Simon crediderat*; quando vidit detectam suam fraudem, dolos suos solutos et artem suam irritam, a Philippo baptizatus est in specie, quasi crederet: non ex omni corde, sed in specie externa. *Et adhaerebat Philippo*; h. e. Simon, et cum eo plerumque quiescit, investigans quomodo faceret illa miracula, quia multum diversa erant a suis.

v. 14) *Et cum audivissent apostoli recepisse Samaritanos*

[1] *Patr. Gr.*, XX, 167. — [2] Γίττων, (ibid). — [3] In margine cod.: « Et Malkhum, h. e. Saturnus Kroni; adorastis stellam Aphroditen, Iovem ».

sermonem Dei, miserunt ad eos Simeonem et Iohannem; h. e. hos miserunt ad illos ut ipsis darent Spiritum sanctum, *quia Philippus eos tantum baptizavit; dare autem Spiritum non potuit, quia erat diaconus. p. 61.

v. 18) *Obtulit argentum dicens: Da mihi potestatem* [v. 19]; h. e. Simon, cum videret per acceptionem Spiritus miracula facere hos qui eum acceperant, et a miraculis cognosci communicationem eius, quia invisibilis et incorporeus est Spiritus, obtulit pecuniam ut acciperet donum Spiritus. Cum enim videret Simon quod, cum credidit, non receperat Spiritum et alii receperant eum, putavit quod in se non resedit, quia nihil dederat, cum ipse magnam pecuniam collegerat magica arte, et hac ex causa et opinione mala obtulit pecuniam. Simeon autem, quum percepisset Spiritu malitiam eius, dixit:

v. 20) *Pecunia tua tecum abeat in perditionem!* h. e. pereas tu et omnis pecunia tua tecum! *quia putasti donum Dei possessione mundana acquiri*; h. e. de Deo opinio prava tibi fuit, quasi ille dona et munera requirat. Decebat ut intelligeres, quod fit, esse gratiae Dei, non humanae conscientiae. Non autem potest simile quid argento acquiri aut venumdari. Tremant principes sacerdotum et tremor teneat sacerdotes; erubescant coram Petro principes sacerdotum et timeant finem malum Simonis mercatores sacerdotii, ne forte et venditores et emptores in finem Simonis deveniant!

v. 21) *Non est tibi pars neque sors in fide hac*; h. e. non est tibi aliqua participatio in doctrina religionis. *Quia cor tuum non est rectum coram Deo*; h. e. pariter nec mens et cogitatio tua sunt rectae coram Deo, et ideo [non] dignus fuisti receptione doni eius.

v. 22) **Sed revertere a malitia tua et deprecare*; h. e. consilium tibi do, si persuasum habeas ut poenitentiam agas propter audaciam tuam, et proiicias a te malitiam tuam et petas a Deo ut remittat tibi audaciam tuam ex qua, circa magnitudinem gratiae Spiritus quae in nobis est, talem cogitationem in anima tua excitasti. p. 62.

v. 23) *In iecinore amaro et in vinculo iniquitatis video te*; h. e. iam video dolum et iniquitatem quae in te sunt, e quibus audax es super omnia; accessisti enim in spe obtinendi virtutem Spiritus quae in nobis est, ideo ut faceres per eam

miracula vera et non fictitia sicut olim, tunc expleres voluntatem tuam, colligeres pecuniam et seduceres populum. Sed quia hanc gratiam non accepisti, habes in mente ut derideas quae a nobis fiunt, et efficias ut homines a veritate recedant. Quia hanc malitiam in corde tuo praevidi et mentem incorrigibilem tibi esse, ne cogitares interitum tuum a nobis causari, hoc meum consilium tibi do ut poenitentiam agas et convertaris diligenter, et accipies condonationem peccatorum. Simon, quia pudore affectus est propter vituperationem coram omnibus, respondit:

v. 24) *Petite vos pro me a Deo*; h. e. non e toto corde petiit hoc, sed in specie simulatoris. Et cum exiisset foras, coepit conviciari apostolis, sicut praedixerat Simeon, et decepit plures magiis suis. Et pervenit Romam et plantavit ibi doctrinam perniciosam in nomine Christi: illa quae apud Borborianos invenitur. Isti Simonis instar in ecclesia conversantur; in specie disciplinae Christi obsequuntur: clam impietatem agunt, in qua saepius deprehensi sunt. Et de hoc locuti sumus in
p. 63. chronico *quod scripsimus, in parte ultima chronici Iohannis Asiae. Elapso tempore, quando adscendit Simeon Romam, pugnavit cum Simone, qui ibi accepit poenam qua dignus erat, sicut scripsimus de ipso in introductione commentarii in evangelium Marci.

v. 25) *Simeon et Iohannes, cum contestati essent eos*; h. e. monuerunt Samaritanos ne capiantur in errore Simonis. *Et docuerunt eos verbum Dei*; h. e. doctrinam de Deo Verbo.

v. 27) *Et occurrit ei eunuchus quidam qui veniebat e Cūš, praefectus Kandakis, reginae Cušitarum*; h. e. hic eviratus seu eunuchus aut castratus, de quo agitur, non erat eunuchus reginae Cušitarum sed reginae Sabae. Multa loca inveniuntur in scripturis in quibus mutantur nomina et verba. Dicit sanctus Iacobus edessenus, in locis Cūš nunquam regnavisse mulierem, de regionibus Sabae id auditum et scriptum esse: et etiam diebus Salomonis mulier regnabat ibi et venit apud Salomonem: et in diebus Alexandri secundum quod scriptum est in eius historia. Et quia invaluit mos, ut omnes qui sunt nigri coloris nominarent Cušitas, ideo appellatus est ille eunuchus Cušita, quia niger erat facie sua sicut Cušita.

Et cur in Saba mulier regnabat? Et dicimus: Scriptum est

de Saba et Ophir et Hewila, cum eis bellum gessisse Aethiopem qui occidit Sabam; cum non haberet filium qui regnaret post eum, filia eius se armavit et gessit bellum cum Aethiope eumque occidit, et a tempore quo vicit haec mulier, feminae tenent principatum et regnant in hac regione.

v. 29) *Spiritus Domini rapuit Philippum*; h. e. subito sustulit eum, ita ut nec sensum remotionis habuerit eunuchus, *ut inde cogitationem sublimiorem conciperet de eo qui eum edocuit, et praesertim accepta sint ipsi verba quae ab eo audiverat. p. 64.

v. 39) *Et amplius non vidit eum eunuchus ille*; h. e. quia conscientiam perfectam acquisivit circa doctrinam sibi traditam, etiam Spiritum sanctum accepit, et exinde etiam laetabatur et exultabat. Et forsitan dicet quis: Quomodo dedit diaconus Spiritum, cum Samaritanis non dederit, donec venerunt apostoli et dederunt eis Spiritum? Et dicimus: Qui in Samaria [erant] non acceperunt, quia propinqui erant apostoli et ad eos descensuri, ne omnia perturbata viderentur neque esse discrimen inter apostolos et diaconos. Eunucho datus est Spiritus, quia non erat alius qui daret ei, et propter necessitatem itinerisque festinationem. Et quidem ipse fuit praeco et magister totius regionis Sabae. Multa enim illo tempore praeter usum rerum noviter fiebant: sicut etiam accidit in familia Cornelii, qui antequam baptizati sint, acceperunt Spiritum, ut Simeon certum haberet quod iustum est baptismum dari Gentibus. Rursum dicimus, forsitan post id quod fecit Philippus inter Samaritanos, dederunt ei Apostoli impositionem manuum sacerdotii, unde potuit dare Spiritum eunucho; et hoc fecerunt ei, quia viderunt eius studium in praedicatione.

v. 40) *Philippus inventus est Azoti*; h. e. subito deductus est longe ab eunucho et apparuit Azoti; per operationem Dei translatus est, et incepit *docere urbes* quae in medio erant *usque ad Caesaream* Philippi [1].

Quae gesta sunt a Philippo, quasi additamentum introducta sunt. Nunc autem transit Lucas ad narrandum de Saulo. Supra [2] quidem scripsit de eo quod custodiret vestes illorum qui lapi-

[1] Sic textus. — [2] *Act.*, VII, 58.

p. 65. dabant *Stephanum, et quod intraret in domos et traheret viros et mulieres; et hic dicit:

[Caput IX].

v. 1) *Saul adhuc plenus erat furore adversus discipulos. Et poposcit sibi epistulas*; h. e. postquam locutus est Lucas de multis, et etiam de dispersione discipulorum quae in auxilium versa est, quia multos fide imbuerunt, sicut fecit Philippus, hic pergit loqui de ira et minis Sauli adversus ecclesiam, et etiam de eius vocatione a Deo. Ira multa et caedibus et sententia mortis plenus erat *adversus discipulos Domini nostri*; h. e. discipulos appellat qui colebant Dominum nostrum, fideles qui crediderunt in Christum.

v. 2) *Et poposcit sibi epistulas*; h. e. quia multi fideles dispersi sunt ob vehementiam persecutionis illius cuius Saulus erat caput, diversis locis, et multi eorum fugerant Damascum, accessit ad principem sacerdotum et sumpsit litteras ad Iudaeos qui Damasci erant, ut eorum auxilio persequeretur fideles huius loci et vinculis ligaret viros et mulieres, quos abduceret ut reciperent poenam. Et electus est Saulus e Iudaeis propter salutem et utilitatem Gentium. Apostoli enim et illi qui e populo crediderunt, repudiabant Gentes et opinabantur eas non esse dignas salute propter idololatriam, ita ut abhorreret Simeon a Cornelio. Gratia divina elegit Saulum, qui erat persecutor et occisor fidelium et zelo accensus pro lege, ita ut ab inimico Gentium et a persecutore ecclesiae veritas illustraretur, et ei qui adversarius et inimicus erat committeretur praedicatio Gentium.

p. 66. v. 3) **Subito affulsit super eum lux*; h. e. non caelum scissum est et affulsit ex eo lux, alioquin et omnem orbem illuminasset et etiam solem occultasset; sed Christus quando surrexit e sepulcro et adscendit in caelum, induit lucem quasi pallium virtutis suae divinitatis: et illa est quae etiam oculos carnales offuscavit et solem occultavit, ut animadverteret Saul in hanc, visum est ei caelum apertum esse et repente apparuit ei Iesus; et propter abundantiam lucis quae dicitur ei affulsisse, non percepit radios solis, sed sicut species fulguris cecidit in eum et copia radiorum laesi sunt oculi eius, et cecidit in

terram eo quod non potuit tolerare vehementiam lucis, et vox facta est ad eum dicens:

v. 4) *Saule, Saule, quid persequeris me?* h. e. magnum timorem habuit, ut vidit caelos apertos desuper et apparuit ipsi Dominus noster resplendens luce [1] dixitque ei: *Saule, Saule!* Haec enim iteratio nominis excitavit in eo perceptionem sui peccati, sicut illud: « Adam, Adam, ubi es tu? » Rursum, retinebat primum eum a persecutione illud: « Saule, Saule! » sicut retinuit manum Abrahae a caede filii eius dilecti [2]. *Quid persequeris me?* h. e. sane illum qui in caelis est audes persequi tu qui in terra habitas? in ea quorum tibi vis non est intendis. Miranda est cum terrore eorum quae videbantur etiam suavitas eorum quae dicebantur. Non dixit ei quid ignominiosum nec vocavit eum iniquum aut impium aut impurum, sed demisse: « Saule, Saule! » interrogatio plena demissionis qua docet *principes ecclesiae congruum esse ut humiliter loquantur.
p. 67.

Quid persequeris me? h. e. intellige rursum quod interrogante Domino nostro: *Quid persequeris me,* ipse dixit: *Quis es tu?* (v. 6) et fecit quaestionem loco excusationis. Quasi dicat: Non adeo temerarius sum, ut auderem illum qui in caelis est persequi; hucusque mortem putabam me persequi. Statim enim ac facta est ad eum vox et visio, confessus est contumaciam suam, dum dicit: Quis es tu? Volo discere quis sit ille in quem haec molior? Si quis dicat: Quomodo mansuete loquitur Christus cum eo, cuius mox oculos crudeliter percussit? Et dicimus: Haec plaga non fuit a Domino nostro, sed a luce illa vehementi quae affulsit ei, quia lux illa natura sua superne illuminabat, sed praeter naturam suam infra et quando effudit super oculos eius suos radios absque mensura, debilitati sunt.

Ego sum Iesus Nazaraeus; h. e. non dixit « Filius Dei » aut « Verbum et imago et creator », sed « Nazaraeus »; docet se e loco contempto esse. Quod si vero dixisset « Filius Dei », respondisset ei: « Ego alium persequor et non te ». Ut doceat itaque quod ipse est, et ille hunc persequitur, qui incarnatus

[1] Cod. Lond. in margine: « Paulus dicit se adscendisse usque ad tertium caelum ad vocem Iesu Nazaraei qui descendit ad eum e caelis et elevavit eum in excelsum ». — [2] *Gen.*, XXII, 11.

est et mortuus est et surrexit, nomine civitatis suae appellat seipsum. Quod hunc quem tu nescis, qui tecum conversatus est in terra, persequaris, experiris nunc: « Ego sum quem quasi mortuum persecutus es ».

Cur resplenduit facies Mosis, et Paulus occaecatus est visione Dei? Dicimus: In faciem Mosis effusus est splendor ut crederetur vidisse Deum, et Paulus, nisi occaecatus esset, non ipsi fidem praestavissent crucifixores quod visionem vidit. Et in faciem Mosis, tanquam amici, signum egregium splendoris p. 68. posuit: Paulo, tanquam persecutori, *signum odiosum caecitatis imposuit ut veridicum mendaces eum haberent. Et dicimus rursum, quod occaecatus est ne, si cum nesciret se male agere percussus est, propter hanc suam in ignorantia persecutionem, nos audaces simus et dicamus hominem propter peccata ignorantiae non culpandum esse. Caesus est in oculis suis et non in auribus suis, quia voce volebat Dominus noster demonstrare quod sit persecutione vexatus; visu autem id fieri non possibile erat. In fidelibus suis persecutionem patiebatur cum supra esset.

Causa electionis Pauli est praestantia eius. Et id notum est eo quod, cum zelo pro lege detineretur, persequebatur errore fideles; et dein ut sit exemplar poenitentibus, quemadmodum dixit [1]: « Ut in me manifestaret Christus longanimitatem suam ». Et quia ad Gentes eum missurus erat; h. e. ut per eum qui odio habebat Gentes et honorabat legem, veritatem doceret Gentes. Qui habent in se aliquid boni, etiamsi errant, eos convertit Deus ad veritatem, quemadmodum vocavit Paulum; et quem novit Deus iustum esse, non derelinquit in errore eius; et qui putantur virtuosi et errant non dimitterentur in errore, si novisset scrutator omnium eos virtuosos esse.

v. 6) *Surge, ingredere urbem et ibi sermo fiet*; h. e. quae tua sunt malis omnino plena sunt, sed quia confessus es veritatem, desiste a fletu et ingredere urbem, et ibi disces quae congrua sunt. Misericordia enim vocatus es, pariter fias tu doctor bonitatis Dei hominibus.

v. 7) *Qui proficiscebantur cum eo in via stabant mirantes, dum audiebant vocem, neminem autem videntes*; h. e. erant

[1] I *Tim.*, I, 16.

mirantes; h. e. in silentio et sine verbo erant; et haesitatione capti sunt, quia sonitum vocis audierunt et lucem, quantum potuerunt videre, viderunt. Et id, ne putaretur Saul non esse sincerus in visione, si *qui cum eo erant non vidissent nec p. 69. audivissent. *Hominem autem non viderunt;* h. e. Dominum nostrum; neque lux fuit sensibilis quae apparuit eis, sed perceptio fuit inaccessibilis, quia incorporea erat. Per operationem Dei apparuit ei lux et quasi aperti essent caeli, ut exinde sermo fieret cum eo: nam statim ac ille apparuit, simul cum visione eum allocutus est, qui et ipse simul ac visum habuit et eius luce percussus est, cum eo loquebatur; qui cum eo erant sensum lucis et vocis perceperunt quasi in testimonium, Iesum autem videre non meruerunt; nec lucem penitus senserunt et ideo etiam sine laesione in oculis suis manserunt. Nec quae dicebantur plane intelligebant, idcirco bene dicitur: neminem videbant.

v. 8) *Et surrexit Saulus de terra;* h. e. postquam confortatus est verbis Salvatoris nostri et recepit bonam spem de seipso.

v. 9) *Et quamvis aperti essent oculi eius, neminem videbat;* h. e. quia enim alii lucem, quanta fuit, non viderunt, ne ab ipso reputaretur visio fallax, mansit iam caecus ut plane perciperet lucem vidisse. Et tres dies occaecatus fuit ad cognitionem veram huius quod vidit. *Introduxerunt eum Damascum, ducentes eum,* h. e. quia non poterat videre; et hoc vera demonstratio erat eis qui cum eo erant, quod lux ipsi apparuerat. *Et non comedens nec bibens;* h. e. per tres dies, quibus caecus fuit, non comedit nec bibit, lugens impietatem suam, orans et deprecans Deum ut liberaretur a peccatis suis.

v. 10) *Discipulus nomine Ananias:* et in revelatione spiritali [1].

v. 11) *Surge, vade in vicum,* et cetera; h. e. facta est revelatio *Ananiae de omnibus rebus, utque proficisceretur ad p. 70. Saulum.

v. 13) Sed Ananias in haesitatione iacebat, quomodo vir qui *multa mala imposuit sanctis*, mutatus sit? Dominus noster respondit Ananiae:

[1] Sic codd.; textus mancus.

v. 15) *Vade! quia ipse est mihi vas electum ut portet nomen meum coram regibus;* h. e. confidenter eas ad hunc, elegi et probavi eum ut traderet hominibus doctrinam: et coram Gentibus et regibus et etiam inter Iudaeos aperte tolerabit tribulationes pro me. Hoc enim « ut portet nomen meum », gravitatem dolorum qui irruent in eum indicat nomine portationis, quibus coram omnibus ostensurus erat fiduciam suam in cultu Dei.

v. 16) *Ego ostendam ei, quanta passurus est pro me;* h. e. ego praeparabo eum ad id, ego faciam in eo ut libenter accipiat passiones; dabo ei huiusmodi conscientiam et adiuvabo eum ut possit tolerare magnitudinem passionum; sicut illud [1]: « Ostendisti mihi viam vitae », h. e. in vita me fecisti, et [2]: « Ostende mihi, Domine, viam tuam in qua ambulem »: h. e. fac ut agam quod decet: ita et hic illud « Ostendam ei », h. e. excitabo eum ad haec. Et postquam accepit Ananias persuasionem per ista, ivit ad eum.

v. 17) *Saule, frater mi, Dominus noster Iesus misit me ad te,* et cetera; h. e. eo quod vocat eum « frater mi » manifestat se cum aliquo qui iam secum in fide communicat, colloqui. Et illud: « Iesus misit me », qui tibi apparuit in via, satis erat ut certiorem faceret eum de his quae acciderant, et ipsum Ananiam scire quae dicta sunt in via; et illud: *ut videas et implearis Spiritu:* e signis quae sequuntur eos qui credunt noscebatur.

v. 18) *Et subito ceciderunt ex oculis eius tanquam squamae:* h. e. vehementia lucis quae apparuit ei, inflamma-
p. 71. tionem huiusmodi fecit in oculis eius, *ut quasi squamae deciderent et cessavit inflammatio, et ex quo cessavit inflammatio, statim vidit. Gratia squamas dissolvit et oculis eius dedit sanitatem. *Et surgens baptizatus est:* h. e. post baptismum apparuit gratia per signa, et in gaudio fuit, quia liberatus est a peccatis suis.

v. 19) *Et cepit cibum et roboratus est.* Et fuit *per dies apud discipulos;* h. e. discipulos vocat fideles.

v. 20) *Et statim praedicabat in synagogis;* h. e. post paucos dies amore flagrans visus est pro doctrina religionis. Et *praedicabat in synagogis Iesum esse ipsum Filium Dei;* h. e. qui voluntate sui Patris se humiliavit et induit corpus, et

[1] *Ps.* XV, 10; *Act.*, II, 28. — [2] III *Reg.*, VIII, 36; *Ps.* CXLII, 8.

cum sit naturaliter Filius Patris, factus est in carne filius hominis propter nos.

v. 21) *Et dicebant: Nonne fuit...;* h. e. mirabantur quomodo cum tot mala fecisset Ierusalem, et huc in eundem finem venisset, conversus sit ad cultum Dei et nunc praedicaret Iesum?

v. 22) *Magis confortabatur;* h. e. valide proficiebat in fiducia pro cultu Dei. *Et movebat Iudaeos illos;* h. e. turbabat eos multitudine sermonis sui, cum eos in dubitationem coniiciebat frequentia demonstrationum suarum, *cum ostenderet;* h. e. verbis suis ostendebat eum esse Christum.

v. 23) *Et cum multiplicati essent ei dies ibi;* h. e. quia longum tempus continuo hoc agebat, decreverunt Iudaei ut interficerent eum, quia non tolerabant redargutiones quas infligebat eis.

v. 24) *Et manifestatum est Saulo consilium;* h. e. notus est et ei revelatus dolus quem in ipsum moliebantur.

v. 25) *Et iniecerunt eum in sportam et demiserunt eum nocte;* h. e. ut ita effugiat dolum eorum qui volebant *eum p. 72.
interficere. Illud *de muro,* h. e. e domo quae vicina erat muro. Et de hoc ipse dixit [1]: « E fenestra in corbi demiserunt me »: h. e. corbim nominat sportam, hoc est magnum receptaculum, foliis palmarum contextum; et « fenestram » rursum illam quae erat in muro, quo demiserunt eum.

v. 26) *Et ivit Ierusalem;* h. e. cum liberatus esset et pervenisset Ierusalem et vellet adnumerari discipulis, *timebant eum;* h. e. non credebant quod adhaesisset Christo, sed dubitabant de eo.

v. 27) *Barnabas sumpsit eum et duxit eum ad apostolos;* h. e. quia experimentum ceperat Damasci eius mentis fidelis, aut fortasse audiverat alicubi narrationem visionis quam viderat in via, et eius mutationem eiusque praedicationem Damasci; per haec fidem meruit ab eis.

v. 29) *Qui sciebant graece, disputabat;* h, e. quaestiones movebat de cultu Dei cum eis ut, si vellent et cupidi sint religionis ad Christum accedant.

v. 30) *Et cum novissent fratres, deduxerunt eum nocte*

[1] II *Cor.*, XI, 33.

Caesaream; h. e. quum sentirent fideles Iudaeos paratos esse ad eum occidendum, quia non tolerabant sermones eius, deduxerunt eum Caesaream, ut evaderet dolum populi. *Et exinde miserunt eum Tarsum*: h. e. custodivit Deus Paulum a Iudaeis ad salvationem Gentium. Iudaei enim et qui ex eis crediderunt, non permittebant ut admitterentur Gentes in religione. Ideo elegit gratia Paulum, virum plenum scelere, qui familiares redderet Gentes, qui quemadmodum clementiam consecutus est ipse, ita reciperet alienos in fidem.

Post haec narrat Lucas de illis quae facta sunt Cornelio per
p. 73. Simeonem. Quia *Paulus paratus erat ut discederet ad docendum Gentes, ne videretur alienam viam terere, quae non ab apostolis trita sit, providentia accidit ut Cornelius qui e Gentibus erat, per Simeonem accederet ad cultum Dei, per magnas visiones et per operationem Spiritus, ut etiam exinde notum sit voluntatem Dei esse ut Gentes quoque ad fidem accederent. Et a Simeone incepit vocatio eorum, ne videretur a Paulo nuper inducta.

v. 32) *Descendit ad sanctos qui habitabant Lud*; h. e. fideles, qui ibi erant, appellat « sanctos », quia electi erant ad cultum Dei et acceperunt sanctitatem e gratia Spiritus.

v. 35) *In Lud et in Sarona*; h. e. Saron appellat locum proximum Lud. *Et omnes hi conversi sunt* ad fidem, cum vidissent sanationem Aeneae.

v. 36) *Discipula quaedam in civitate Ioppe*; h. e. mulier quae receperat doctrinam fidei, *appellata Ṭabīthā. Haec erat dives operibus*; h. e. actiones multas et praestantes faciebat, donationes sanctis abundanter conferebat, et omni specie misericordiae ornata erat.

v. 37) *Et laborabat aegritudine his diebus et mortua est*; h. e. cum morbo mortua esset, *lavarunt eam*, sicut mos est erga defunctos, *et posuerunt eam in coenaculo*.

v. 38) *Quod Simeon esset Lud*; h. e. miserunt autem Lyddam, quia vicina erat [civitas] Ioppe, et rogaverunt ut veniret. Persuasum enim habebant, quod si veniret, suscitaret eam. Viderant enim eum facientem multa signa et etiam umbram eius expellere morbos. *Discipulos* Lyddae vocat fideles qui ibi erant. Et *duos* discipulos miserunt ad eum.

v. 39) *Et congregatae stabant circa eum*; h. e. cum adscen-

disset in coenaculum, *vidit viduas flentes ob mortem eius, quia p. 74.
bene faciebat eis. Et compassus est cum eis, et quidem operatione spiritali commotus est.

v. 40) *Eiecit omnes foras;* h. e. ne videretur ad ostentationem quidquam facere, aut voluit in otio quiete orare.

Haec non ad narrationem miraculi recitat Lucas, sed ut indicaret Ioppen misisse Cornelium post Simeonem, quamvis semper habitaret Ierusalem; voluit exponere, quare descenderit Ioppem et Lyddam. Rursum, providentia disposuit ut Ioppe inveniretur Simeon, quando ad eum misit Cornelius, quia si Ierusalem fuisset, fratres qui erant e circumcisione non permisissent ut proficisceretur. Et id inde notum est quod vituperaverunt eum, postquam profectus est, et dicebant « ad incircumcisos ivit et comedit cum eis ». Decebat vero eos mirari in conversione eorum ad virtutem.

[Caput X].

v. 1) *Caesareae erat vir, cuius nomen erat Cornelius,* cui commissus erat principatus militum; in Pešiṭtā: *centurio;* h. e. dux centum.

v. 2) *Hic faciebat eleemosynas;* h. e. benefaciebat Iudaeis, quasi populo a Deo electo. Multi e Gentibus illo tempore honorabant Iudaeos tanquam Dei cultores, quia se avertebant ab adoratione idolorum. Talis erat etiam centurio cuius servum sanavit Dominus noster.

v. 3) *Hic vidit angelum;* h. e. sicut solent angeli in specie humana apparere hominibus. *Corneli!* h. e. postquam ingressus est angelus, appellavit eum nomine suo.

v. 4) *Orationes tuae et eleemosynae tuae acceptae sunt;* h. e. et pro eis volo bonum principale, quod est cognitio Dei, tibi revelare.

v. 5) **Mitte Ioppem et invenies Simeonem;* h. e. [1] Simeon p. 75.
coriarius, h. e. pellarius, coriarius.

v. 6) *Ad ripam maris;* h. e. latus maris, littus. Quare non edocuit eum angelus, sed praecepit ut accersiret Simeonem? Et dicimus: Ne sit obiectio quod Cornelius edoctus fuit ab an-

[1] Hic lacuna in textu

gelo et alius quidam ab homine; et secundum: ne contemptus sit Simeon, praeco ministerii, idcirco angelus non edocuit Cornelium. Rursum, ut testimonio angeli accipiatur Simeon; et opus angeli fuit manifestare Simeonem et quod per Simeonem decebat Gentes fidem initio recipere, ne quis in fine accusaret Paulum hac de re.

v. 7) *Et advocavit duos e domesticis suis*; h. e. sine mora misit Cornelius duos domesticos fideles et militem unum, sollicitum cultus Dei post Simeonem. Quia ipse adhuc servabat consuetudinem legis ne ad incircumcisos iret, per revelationem disposuit eum gratia, ne dubitaret quod vocetur.

v. 9) *Ut oraret hora sexta, et esuriit*; h. e. famem tribuit Scriptura Petro eo tempore quo recepturus erat revelationem de vocatione Gentium, ut innueret: quemadmodum qui esurit uni studet, nempe ut famem suam saturaret, ita sollicitudinem Dei esse salutem hominum, et vitam eorum cibum eius, secundum illud [1]: « Cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me ».

v. 10) *Cecidit in eum stupor*; h. e. stuporem vocat hoc: quod cogitationes exeunt extra ordinem consuetudinis suae, dum in visione intellectus contemplantur res inaccessibiles quas gratia divina revelat eis; quod Simeoni accidit.

p. 76. v. 11) **Vidit caelos apertos et vas linteum vinctum quattuor* (angulis); h. e. vidit per operationem Spiritus vas ligatum quattuor angulis, et distincte vidit vas descendere, ne putaret illud quasi quid impurum inde proiici, sed cum sollicitudine descendit, eo quod sollicitudine eius digna erant quae in eo; et idcirco illud quattuor angulis vinctum erat. *Vidit linteum, descendens de caelis*; h. e. inde quo etiam Dominum nostrum viderat adscendisse.

v. 12) *Erat autem plenum omni genere quadrupedum,* animalium, *reptilium et volatilium,* quorum alia secundum legem munda erant et alia non.

v. 13) *Simeon, surge, macta et comede!* h. e. quasi famelico, indigenti cibo, vox praecepit ei sollicite ut comedat quod videbatur ipsi impurum secundum legem.

v. 14) *Nunquam comedi quod est immundum*; h. e. cum

[1] Ioh., iv, 34.

iuberetur res immundas comedere, timuit et renuit, quia reprobatae erant secundum legem; et *vox facta est ad eum:*

v. 15) *Quod Deus mundavit, tu...*; h. e. vides omnia de caelis descendisse in linteo inclusa, et illuc adscendisse unde descenderant, ut intelligas ea nihil differre inter se quoad munditiem. Et tu audes immundum reputare quod e caelis vidisti descendere!

v. 16) *Et hoc factum est tribus vicibus,* quia praeceptum accepit ut in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti doceant Gentes fidem et baptismum. Rursum, *sublatum est vas* illud *in caelos;* h. e. ut pudore afficiatur Simeon, cum videret vas in caelos sublatum. Visio itaque docebat non putare immundas esse Gentes quae accedunt ad fidem. Si enim iussus est animalia non existimare impura, inter quae alia sunt munda et alia non sunt, quanto *magis in uno genere et una natura hominum p. 77. turpe esset putare alterum immundum et alterum mundum, cum uterque eandem voluntatem in studio cultus Dei habeat.

v. 17) *Cum miraretur Simeon in semetipso quidnam esset;* h. e. in seipso stupore repletus erat adhuc; attamen dolor famis effectus erat gratiae, ut intelligat etiam Deum cupere salutem hominum, nec ullum esse immundum, quando accedit ad eum.

v. 19) *Et cum Simeon meditaretur visionem;* h. e. in magna dubitatione versabatur, *advenerunt qui missi fuerant,* et per interrogationem venerunt ad domum. Dixit ei Spiritus: *Ecce tres viri quaerunt te;* h. e. ad Cornelium angelus descendit, et Simeoni Spiritus praecepit, ut sciamus etiam angelum qui missus est, mandato Spiritus parere sicut Domino.

v. 25) Et cum proximus esset Simeon ut perveniret Caesaream, servus quidam annunciavit Cornelio, qui exiit obviam ei. *Et procidens adoravit ad pedes eius;* h. e. tantam humilitatem ostendit, ut ad membrum quo inferius non est in corpore, se inclinaret et adoraret, quia putavit Deum habitare in eo, et ideo honorem qui decet templum Dei tribuebat ei.

v. 26) *Surge, quia etiam ego sum homo;* h. e. quid magni non sum, etiam si magna operor. Cura est sanctis ne obliviscantur suam infirmitatem ob res gloriosas quae eorum manibus fiunt.

v. 28) *Non licet homini iudaeo se adiungere;* h. e. scitote me non transgredi legem; et nec laudem humanam quaerens ad vos veni, sed Deus, doctor legis, *praecepit mihi ne di-*
p. 78. *cam ullum hominem *pollutum aut contaminatum*, h. e. ne aliquem putem immundum aut contaminatum. Et quod de animalibus in revelatione audierat, ad homines applicat.

v. 30) *Cur misistis ad me?* h. e. Spiritus dixit ei: Vade! et cum venisset ad domum Cornelii, interrogabat, quasi nesciret: Quare misistis ad me? Et hoc fecit, ne videretur docere eos invitos. Voluit enim ab ipsis audire quid postularent. Iudaeos vero, etiam invitos, docebat, sed nondum firma erat opinio eorum, quod Gentes ad religionem Dei accederent.

v. 33) *Ecce, nos omnes coram te;* in Ḥarklensi: *Ecce, nos omnes coram Deo ut audiamus;* h. e. non inepte dixit illud « coram Deo »; non enim artificio aut astutia usi sumus, sed in conscientia diligenti congregati sumus coram Deo, teste et iudice illorum quae a nobis aguntur. Cupido illa ducit nos ut audiamus et recipiamus quae a Deo iussus es nos edocere.

v. 34) Et cum admiratus esset Simeon, dixit: *In veritate assequutus sum Deum non esse acceptorem personarum, sed, in omnibus gentibus, qui....;* h. e. ex ipsis rebus percepi quod Deus non faciem hominum respicit ut honorem conferat, nec a genere erubescit, ita ut (tantum) filios Abrahae honoret et de ipsis curam habeat; non enim secundum cognationem corporalem decurrit eius providentia, sed ubique bonam voluntatem quaerit, non sollicitus de genere aut propagatione carnali.

v. 36) *Sermo quem misit ad filios Israel, annuntians eis pacem per Iesum;* h. e. doctrina et praedicatio quam misit Iudaeis cum annuntiaret seu notam faceret pacem ipsis obven-
p. 79. turam per Christum, h. e. destructionem *malorum. Pacem vocat destructionem peccati et mortis et daemonum et passionum quae hic impugnant: illa solvit Filius Dei, surgens e sepulcro, et dedit nobis pignus immortalitatis quae est pax vera. *Hic est dominus omnium;* h. e. etsi exinanivit se ipsum et cognitus est in humiliationibus et humanis rebus, tamen Dominus est omnium tanquam Deus, h. e. caelestium et terrestrium, et non est divisus in duo.

v. 41) *Et cum ipse Simeon loqueretur hos sermones;* h. e.

cum doceret eos; et in mente sua dubitabat adhuc, num liceat dare eis baptismum, gratia Spiritus praevenit eius cogitationem, et eo tempore quo dixit de ipso testatos esse prophetas [1]: « quod omnis qui credit, per nomen eius accipiet remissionem peccatorum », gratia *Spiritus* confirmavit opere quod dictum est, *requievit super omnes* et coeperunt loqui novis linguis sicut apostoli in caenaculo.

v. 45) *Et mirati sunt patres circumcisi*; h. e. fideles qui erant e circumcisione, qui cum Simeone obstupuerunt et dixerunt: « Pariter etiam in Gentes Spiritus sanctus illapsus est ». Loquutio enim in linguis descensum Spiritus manifestabat. Tunc dixit Petrus fidelibus qui erant e circumcisione:

v. 47) *Numquid aquas potest quis prohibere ne baptizentur?* h. e. sicut hominibus qui resistunt, dixit haec. Numquid nunc ab aquis interdicemus eos qui acceperunt Spiritum sanctum sicut nos? aut aquis adnexa est gratia et non Spiritui? Si enim Spiritui adnexa est participatio gratiae baptismatis, aquae vero in ordine cuiusdam signi sumuntur, stultum esset, cum thesaurus gratiarum datus est eis, nos de signo seu aquis disceptare; cum nullomodo donum Dei aquae possint *impedire, et etiamsi non adhibeantur. Ecce enim nec latro p. 80.
impeditus est ingredi Paradisum eo quod non in aquis baptizatus est, sed dignus habitus est Spiritu qui est causa gratiarum baptismatis.

[Caput XI].

v. 17) *Ego quis eram ut sufficerem ad prohibendum Deum?* h. e. cum tanta gratia super eos venerit, quid mihi faciendum erat, nisi illud? Voluissetis ut impedivissem Deum ne daret eis Spiritum?

v. 18) *Iam etiam Gentibus dedit Deus conversionem ad vitam*; h. e. postea veriti sunt Simeonem circumcisi qui erant Ierusalem. Laudabant Deum, cum mirarentur quod [2] « effudit donum suum etiam in Gentes ». Conversionem vocat dolorem animi de peccatis hic; « vitam » autem, illam quae erit post re-

[1] Cf. *Act.*, xiii, 39. — [2] x, 45.

surrectionem in qua firmiter, sine incitamentis et passionibus apparebimus.

v. 26) *Et per totum annum simul congregabantur*; h. e. quia aliqui de circumcisione dubitabant sumere cibum cum Gentibus, idcirco dixit eos cotidie cum Gentibus convenisse et comedisse cum eis, non tantum mysteria, sed etiam cibos profanos. *Abhinc primum appellati sunt Antiochiae discipuli « christiani »*; h. e. populum multum edocuerunt ibi ex incircumcisis. Hucusque legi subditi erant, etiam qui ad Christum accessissent. Quum autem Antiochiae populus multus e paganis ad fidem Christi accessisset, non curabant de lege et necessario *ab hoc tempore inceperunt appellari christiani*; h. e. Christum induti, velut qui non indigerent amplius additamento legis, sed in Christum solum crederent et doctrinam eius reciperent.

p. 81. v. 27) **Descenderunt Hierosolymis Antiochiam prophetae, et erat ibi gaudium magnum*; h. e. descenderunt nonnulli qui digni habiti sunt dono prophetiae et gaudium fecerunt ecclesiae eo qnod indicarunt futuras et occultas res.

v. 28) *Et Agabus nuntiavit eis famem magnam*; h. e. postea accidit diebus Claudii.

v. 29) *Discipuli, quantum habuit unusquisque eorum*; h. e. fideles e Gentibus qui Antiochiae erant; misit quisque suam pecuniam secundum suam facultatem in commodum fidelium in Iudaea. Haec pecunia missa est ad principes qui erant in Iudaea, his qui sollicitudinem omnium fidelium portabant. Cum Barnaba et Saulo quos direxerant Antiochiam, miserunt pecuniam, et id eo consilio fecerunt ut adducerent eos ad concordiam, ne incircumcisi impugnarentur, neque litem moverent [fideles e Iudaeis adversus incircumcisos] seu fideles e Gentibus, quod legem non servaverint, et tamen incircumcisi non sint alieni ab eis, sed per suas eleemosynas concordiam cum illis inirent.

[Caput XII].

v. 2) *Et occidit Iacobum gladio;* h. e. diebus Claudii iniecit Herodes manus; dicunt qui introduxit Iacobum in tribunal, cum vidisset eum martyrium passum esse, poenitentia

motus est et confessus est se christianum esse, et ambo simul ducti sunt, et cum procederent in via, petiit a Iacobo ut remittat ipsi. Hic vero accessit et osculatus est eum et dixit: Pax tecum! Et sic ambo martyrium passi sunt.

v. 5) *Et cum Simeon custodiretur in carcere, oratio assidua ab ecclesia pro eo;* h. e. postulabant omnes ut liberaretur; quia erat caput omnium, sibi cautionem putabant eius perseverantiam in hac vita, damnum vero magnum eius obitum. Sed post *festum paratus erat Herodes occidere eum; p. 82.
ipso mane post hanc noctem occisurus erat eum.

v. 6) *Cum dormiret Simeon inter duos milites;* h. e. erat enim vinctus duabus catenis, ex utraque parte cum uno eorum, et utraque manu vinctus erat. Cura de custodia eius demonstratio est magnitudinis gratiae quae circa eum futura erat. Etiam ante portam carceris alii erant qui custodirent.

v. 7) *Angelus subito apparuit et pupugit Simeonem;* h. e. quia dormiebat nec cogitabat de morte. *Surge velociter!* h. e. cum surgeret, ceciderunt catenae de manibus eius; evidens est eos qui cum eo vincti erant, non percepisse quid ageretur.

v. 9) *Et putabat se visionem videre;* h. e. propter novitatem rei existimavit inanem visionem factam per somnium.

v. 10) *Et cum transiisset primam custodiam et secundam;* h. e. quia milites ad hoc appositi summo studio viam carceris successive custodiebant. *Primam igitur et secundam;* h. e. unam post alteram, omnes, usquedum venerunt *ad portam ferream* quae ducebat in urbem, et aperta est sponte, licet magna diligentia fuisset clausa, et forsitan, quia carcer foris erat extra urbem. Cum venirent in urbem et *transirent plateam* quandam, percepit Simeon non esse phantasma.

v. 15) *Crediderunt esse angelum;* h. e. qui venit ad consolationem omnium; et forsitan, quia putabant quod angelus uniuscuiusque iusti quidquid ei opportunum est, facit secundum *necessitatem iustorum. p. 83.

v. 16) Et cum viderint eum, *obstupuerunt* et e gaudio suo eum circumdabant et osculabantur; quia ob tumultum omnium verba proferre non poterat, quem prae gaudio agebant et laudabant Deum, *innuit manu et indicavit ut tacerent* [17]. Porta ferrea carceris illa est quae clausa est ante eos qui su-

biecti sunt passionibus, est cor induratum malitia et superbia. Si itaque dat quidam seipsum laboribus et operatur bona, sponte aperitur ei porta, et educit eum angelus e captivitate peccati et perducit eum per plateas et vicos usque ad portam civitatis spiritalis iustitiae et scientiae.

Quod liberatus est Simeon et dolore afflictus Herodes, dolorem illum Satanae propter liberationem animarum quae ei subditae erant, docet, quia neglexit et non providit perditionem earum. Rursum, imago Pharaonis qui afflictus est liberatione Israelis, et cum persequeretur eos, periit ipse et populus eius. Et hoc universaliter factum est a Salvatore nostro quoad naturam humanam, partialiter vero fit omni tempore in singulis animabus cura divina quae exercetur in eas per angelos.

v. 19) Mors militum quae accidit causa Petri proponatur peritis in explicatione iudiciorum Dei; et cogitemus aut supputemus quod non iam defraudati sunt iustitia: aut id debebant iustitiae, et retributionem suam receperunt, aut positi sunt cum primogenitis Aegyptiorum qui necati sunt propter Hebraeos; aut si debita sit eis merces, retributionem accipient cum pueris qui sunt occisi propter Salvatorem nostrum. Iustitiae est reddere unicuique in aequitate.

p. 84. v. 20) **Persuaserunt cuidam cubiculario regis cuius nomen Blastus*; h. e. cuidam e ministris eius qui magnam familiaritatem cum eo habebat; hunc forsitan etiam munere persuaserunt.

v. 21) *Herodes induit vestem regiam et loquebatur cum turba*; h. e. verba adulationis et quae ei placebant.

v. 22) *Hae sunt voces dei*: h. e. illi, quasi viri qui volunt adulari regi propter honorem, dicebant Herodi: Vox tua vox est dei, non hominum! Hic vero in se ipso superbivit, praeter quod esset persecutor apostolorum.

v. 23) *Et pro eo quod non dederit gloriam Deo*; h. e. quia non confessus est Deum esse supra omnia, et sibi acceptavit laudationem et gloriam et talem opinionem de seipso habuit: *Illa hora percussit eum angelus Domini*; h. e. qui ad ministerium hoc missus est; et postquam scaturivit vermibus, mortuus est, et cognovit revera, quam inferior erat Deo.

v. 24) *Et verbum Dei incrementum capiebat et invale-*

scebat; h. e. a malitia Herodis et eius similium detrimentum aut damnum praedicatio non est passa, sed cotidie crescebat.

v. 25) *Barnabas et Saul reversi sunt Hierosolymis Antiochiam*; h. e. supplementum quoddam verbis superioribus; dixit missam fuisse cum eis pecuniam [1], et interpositis eis quae fecit Herodes, dixit postea eos reversos esse Hierosolymis, ducentes secum Iohannem qui cognominatus est Marcus.

[Caput XIII].

v. 1) *Erant in ecclesia Antiochiae prophetae et doctores*; *h. e. eorum fit mentio propter discessum Barnabae et Sauli, p. 85.
et fortasse quos commemoravit erant maiores et doctores inter eos. « Prophetas et doctores » vocat eos, quia non solum futura ostendebant, sed etiam mores doctrina sua dirigebant.

v. 2) *Dixit Spiritus*; h. e. mandavit eis Spiritus, in revelatione scilicet occulta, vel per illos qui ea digni erant.

v. 3) Animadverte quid dicat: *Cum hi ieiunarent et precarentur*; in hoc docet sine ieiunio et oratione et supplicatione neminem recipere donum sacerdotii aut docendi. Si enim Paulus sine illis non est mysteriis initiatus, miseri sunt qui moribus immundis et auro accedunt ad sacerdotium et sacerdotalia!

Separate mihi Saulum et Barnabam ad opus; h. e. illud nempe ad quod mihi bonum visum est segregare eos, ad quod ministrandum volui eos vocare. Indicium gratiae est in nomine vocationis: quia ille quem Deus vocat, ad aliquid boni vocatur, non ad opus vulgare.

v. 3) *Et imposuerunt eis manus et miserunt eos*; h. e. impositio manus cheirotoniam significat, qua rebus ecclesiae aucti sunt et visi sunt, mandato Spiritus, apostoli Gentium. In hac impositione manus mutatum est nomen Sauli et appellatus est Paulus; appellatio alia imposita est ei in significationem novae eius destinationis, quod accidit etiam Simeoni qui, cum primus confessus esset Christum esse Filium Dei, appellatus est Cephas. Et exinde Lucas eum Paulum nominat. Et Antio-

[1] xi, 30.

chiae mutatum est nomen eius ab apostolis; et pro Saulo, hoc est indocilis, induratus, perturbatio, sordes, seditio: haec significat Saul,
p. 86. cognominatus est Paulus, h. e. docilis, quietus, *placidus. Et quemadmodum nos nomina non pulcra aut apta in baptismo aut in cheirotonia mutamus, ita quoque eius nomen mutarunt, et ne habeatur inferior apostolis. Sicut Petrus etiam Moses in cheirotonia vocatus est Deus [1]; et Iosephus Iustus [2], et Iohannes Marcus, et filii [Zebedaei filii] tonitrui, quorum nomina mutata sunt. Et sicut apostoli mutarunt nomen eius, sic etiam Spiritus sanctus mutavit eius vitam et mores.

Iacobus Edessenus dicit e conversatione sua cum proconsule qui appellatus est Sergius Paulus nomen eius mutatum fuisse. Dicit: « Ab eo quaesivit [proconsul]: ‘Quomodo appellaris tu?’ Et respondit: ‘Saulus’. Cum animadvertisset una tantum littera differre nomen eius a suo, scilicet per S initio nominis pro P initio sui, persuasit ei et dixit: ‘Quaero, nonne Paulus nominaris sicut ego?’ Et apostolus qui omnibus similis fiebat, ut omnes lucraretur, alacriter id accepit ».

v. 4) *Cum emissi essent a Spiritu;* h. e. mandato Spiritus emissi sunt, et abierunt.

v. 5) *In synagogis Iudaeorum ministrabant doctrinam;* h. e. ut ita manifestarent se non terere viam quae sit contraria legi, eo quod docerent Gentes; sed res legis magni facere et eam a Deo datam esse existimare, quamvis Gentes adducerent ad cultum Dei. Proconsul insulae erat [3], secundum modum Romanorum.

v. 7) *Vir sapiens*; h. e. omnia in sapientia, et scientia et prudentia iuste examinabat.

v. 6) *Iudaeus quidam magus;* h. e. qui pollicebatur dicere
p. 87. *futura, sed utebatur errore tantum, nam aberrabat a veritate et mendax erat. *Vocabat proconsul Saulum;* h. e. sane audiverat de iis et petebat ut audiret ab eis verbum Dei. In Ḥarklensi: *Et petebat ut sciret quae sit ratio praedicationis eorum;* h. e. quomodo ubique prodigia facerent, quorum nonnulla apud omnes manifesta erant. Ita etiam proconsul, cum audivisset, vocavit eos ut sciret, qua doctrina utantur ut, factis signis, ad eam converterent homines.

[1] *Ex.*, VII, 1. — [2] MATTH., I, 19. — [3] Lege: ܦܣܩ̈ܢܐ « sententiae » (?).

v. 8) *Quia cupiebat pervertere proconsulem*; in Ḥarklensi: *cupiebat avertere proconsulem ne credat;* h. e. sciebat, si doctrinam eorum reciperet proconsul, fore ut ipsum velut impostorem repudiaret, cum videret eum diligenter audientem verba eorum.

v. 9) *Impletus est Spiritu sancto;* h. e. commotus est gratia Spiritus sancti.

v. 10) *Et intuitus est eum;* h. e. vehementer allocutus Elymam: *O plene omnibus dolis!* h. e. qui astutia et dolo ostendis speciem virtutis, cum in ratione agendi sis contrarius! *Et omnibus malis;* h. e. paratus et aptus operari mala. *Fili Calumniatoris;* h. e. eo quod quae placent Satanae cogitas et facis. *Inimicus omnis iustitiae;* h. e. quia contrarius es doctrinae nostrae quae adducit ad iustitiam eos qui credunt. *Non cessas pervertere vias eius rectas?* h. e. quia doctrinam veritatis quae convertit ad Deum et ad voluntatem eius, conaris destruere.

v. 11) *Nunc manus Domini super te est et eris caecus;* h. e. nunc apprehendet te poena Dei qua occaecatus eris, et sicut pervertisti vias quae ducunt ad Deum, etiam tu impedieris
progredi in via. Percussus est *in visu suo in signum: quia vo- p. 88.
luit pervertere viam Domini, ideo perversae sunt semitae viarum eius; et [in signum] quod sit poena [opus] misericordiae, sicut ei accidit. *Usque ad tempus*; h. e. si poenitentiam egerit, recipiet visum, et misericorditer definivit poenam. Rursum, quia addidit « usque ad tempus », cognovit Spiritu eum a malitia sua se conversurum et ad Deum rediturum et oculos eius aperiendos; idcirco limitavit et obstrinxit eum ad tempus, quod etiam accidit, et rediit ad veritatem et restitutus est ei visus eius. *Et hac hora cecidit in eum caligo;* h. e. ita ut indigeret ceteris qui ducerent eum et indicarent ei quae essent coram pedibus eius.

v. 12) *Proconsul, cum vidisset, miratus est;* h. e. virtutem quae in apostolis erat. *Et credidit doctrinae Domini;* h. e. esse causam bonorum magnorum iis qui eam profitentur.

v. 16) *Surrexit Paulus et innuit manu sua;* h. e. in hac homilia Pauli, Antiochiae Pisidiae habita, notat Samuelem fuisse prophetam et Saulum quadraginta annos regnasse; et in ea utitur voce ṣ a l ī b ā (crux), dum dicit: « Descenderunt eum

de cruce; in ea rursum explicat illud [1]: « Hodie genui te », quod proprie interpretatur de resurrectione, ut neminem fugit, si bene verba Scripturae intelligit.

v. 17) *Deus huius populi*; h. e. Deus qui hunc populum fecit domesticum sibi. *Elegit patres nostros propter populum*; h. e. non ut tantum ad eos extenderet providentiam suam elegit eos, sed ut per eos provideat toti generi eorum. *Et extulit et magnificavit eos, cum essent incolae*; h. e. eduxit quidem eos virtute potenti quam manifestavit in poena inimicorum eorum.

v. 18) Sicut nutrix filios *nutrivit eos*; h. e. cum sane e suis operibus non erant digni tali providentia.

p. 89. v. 19) **Delevit septem gentes*; h. e. omnia quae recitat, ad providentiam Dei circa populum spectant, cum illi non essent ea digni.

v. 21) *Quadraginta annos* tulit eum; h. e. cum evidens fuit malum esse Saulum, eiecit eum ab honore regni.

v. 26) *Vobis missum est verbum vitae*; h. e. quia e vobis ortum est, oportet vos primos recipere illud ante omnes gentes.

v. 43) *Et etiam proselytae qui timebant Deum*; h. e. pagani qui facti sunt discipuli legis; nam ubique erant gentes quae familiares et studiosae erant legis atque eius religionis.

v. 46) *Vobis oportuit primum praedicari verbum*; h. e. doctrinam, ut percipiatis bona quae e lege sunt: quia e genere eorum ortum est. *Sed quia propellitis illud a vobis*; h. e. quia vita aeterna quam ostendit Christi adventus, non dignos vosmetipsos fecistis: *Ecce, convertimur nos ad Gentes;* h. e. iam recepimus eos qui inde credunt.

v. 47) *Posui te lumen Gentibus*; h. e. facimus voluntatem et praeceptum Domini nostri, quia universalis est redemptio omnium populorum, qui credunt. Et propterea gaudebant Gentes.

v. 48) *Et crediderunt qui positi erant*; h. e. qui destinati erant, *ad vitam*; h. e. hi qui secundum praestantiam voluntatis eorum ab aeterno praeelecti erant gratia Dei ad recipiendam vitam aeternam.

v. 49) *Et verbum Domini recipiebatur in tota regione*

[1] *Act.*, XIII, 33 (*Hebr.*, I, 5; *Ps.* II, 7).

illa; h. e. eo quod qui discebant alios docebant, quia omnes gratia Spiritus ad hoc disponebat.

v. 50) **Instigaverunt principes urbis et mulieres*; h. e. p. 90. ut persequerentur apostolos; et isti persuasi sunt et expulerunt eos. Hi vero qui erant cum Paulo, secundum verbum Domini nostri [1], « excusserunt pulverem pedum suorum » contra persecutores suos.

[Caput XIV].

v. 16) *Quanquam non permiserit seipsum esse sine testimonio*; h. e. quia demonstrationem suae virtutis etiam tunc dederit, cum demitteret pluviam suam et daret fructus et segetes, ut e iucunditate eorum scrutarentur et cognoscerent creatorem suum.

v. 27) *Et multum temporis fuerunt apud discipulos;* h. e. fideles huius loci sic vocat.

[Caput XV].

v. 4) *Ab apostolis et a senioribus*; h. e. seniores vocat eos qui post apostolos debebant praeesse populo.

v. 10) *Quid tentatis Deum?* h. e. quasi experimentum Dei conamini suscipere: num fortasse mutaverit sententiam suam; quia manifestavit rebus Cornelii, ut sine observatione legis reciperemus Gentes quae convertuntur. Rursum, quia dixit de domo Cornelii, qui erant incircumcisi nec observabant legem [2]: « Acceperunt Spiritum voluntate Dei », quasi nunc putarent irritum esse illud consilium primum Dei circa Gentes, volunt discere experimento, utrum in eadem sententia maneat an non. *Quale nec patres nostri nec nos*; h. e. quia peccabant, poenam a lege statutam exspectabant, et in angustia erat genus nostrum; et ideo cum videret Deus difficiliorem esse hominibus iustitiam legis, misit Filium suum qui factus est sub lege, et liberavit nos ab ea, nosque vivificavit per gratiam Filii sui [11].

v. 12) *Et tacuit totus coetus;* h. e. quia coercuit eos Simeon *responsione sua. Tunc confortati sunt qui a Paulo erant p. 91.

[1] Matth., x, 14 (Marc., vi, 11; Luc., ix, 5). — [2] x, 47.

verbis Simeonis, et inceperunt narrare magna miracula quae fecerat Deus per ipsos.

v. 13) *Et postquam conticuerunt, surrexit Iacobus et dixit*; h. e. hic est frater Domini nostri, cui principatus ecclesiae huius loci creditus erat, et propter virtutem suam « iustus » cognominabatur.

Vocatus est « frater Domini nostri », quia erat filius Iosephi ex alia uxore Iosephi, et Iudaei putabant eum fratrem naturalem Christi esse. Et in evangelio vocavit Matthaeus Iacobum et Iudam et Simeonem et Iose fratres eius [1]. Secundum opinionem eorum Dominus noster putabatur esse filius Iosephi eodem modo ac Iacobus filius eius naturalis erat.

Alii dicunt vocatum esse Iacobum fratrem Domini nostri, quia feria quarta post Pentecosten, quando constituit ecclesiam et eucharistiam celebravit, iuramento firmavit quidquid ipsi dixerat Christi occulte se loqui in sacra liturgia; et ideo vocatus est frater eius.

Alii: Cum deduxissent eum ad synagogam ut praedicaret de Christo, propter iustitiam suam, et cum dixisset Christum sedere ad dexteram Patris sui, irati sunt Iudaei et occiderunt eum. Christiani dein vocarunt eum in fide fratrem Christi propter martyrium eius et magnam sanctitatem eius.

Alii dicunt: vocatus est frater Christi, quia Paulus ita eum vocavit, eo significare volens humiliationem Christi, et simul amorem eius erga Iacobum atque huius honorem.

Alii dicunt: Quando mortuus est Iosephus, diviserunt filii eius haereditatem eius. Christo non adscripserunt partem; Iacobus vero proiecit suam partem inter se et Dominum nostrum; et ideo vocatus est frater eius. Et dicimus id non esse
p. 92. verum, quia in evangelio non solus Iacobus appellatur *« frater eius », sed et filii ceteri [2]: « Nonne eius mater et fratres eius apud nos sunt?, et [3]: « nec fratres eius crediderunt in eum ». Nos vero explicationi primae adhaeremus: quia putabatur [Christus] filius Iosephi, appellatus est frater filiorum naturalium Iosephi.

[1] MATTH., XXVII, 56; MARC., XV, 40. Nota marg.: « Iudas auctor epistulae e filiis Iosephi erat, et vocatur quidem frater Domini nostri ». — [2] MATTH., XIII, 55. — [3] IOH., VII, 5.

v. 14) *Eligere e Gentibus populum;* h. e. qui recipiat vocationem eius et secundum eius voluntatem dirigatur.

v. 16) *Revertar et aedificabo tabernaculum David quod ruit;* h. e. annunciat illi e semine David ortum esse Christum qui est Salvator, et eum semper manere in regno. Et hoc est illud « Aedificabo tabernaculum eius ». Id enim ruit per malitiam Iudaeorum, et in fine stetit per Christum; et factus est introitus Gentibus per fidem in Christum. *Tabernaculum* vocat regnum quod per peccata eorum qui ex eius semine erant, cecidit, et pollicetur quod per Christum erigendum est et non peribit neque cessabit.

v. 18) *Nota sunt ab aeterno omnia opera Dei;* h. e. nonne a Deo creatae sunt Gentes? fortasse putaret quis non concedi ipsis bona? Si vero eius creaturae sunt et opera, poterat rursum non adducere eas ad existentiam, cum sciret eos malos fore! Si vero voluit adducere eos ad existentiam, etiamsi sciat tales fore, sive bonos sive malos, iam evidens est eum non repellere et removere eos a sua sollicitudine. Sed siquidem res ita se habent, non decet ut imponamus laborem in eos qui convertuntur ad Christum, ut custodirent legem; sed scribetur eis ut a quattuor rebus recedant, quibus venerabantur deos suos.

v. 20) *A pollutione immolati;* h. e. ab esu rei immolatae daemonibus aut commestione cuiuscunque rei *oblatae idolis. p. 93.
A scortatione; h. e. non de scortatione communi intelligit hic quae prohibita est ab Antiquo et Novo Testamento, sed de illa quam de more ad voluptatem daemonum faciebant. Multa huiusmodi fiebant apud eos, ita ut nec mulieribus licitum erat esse cum maritis, nisi primo corrumperentur in templo idolorum, quasi in honorem deorum. *A suffocato et sanguine;* h. e. quia secundum legem paganorum aliquando vivum animal offerebant, aliquando mactatum, paucis verbis itaque ab omni consuetudine idolorum cultus decebat ut recederent, et ab omnibus his quae secundum doctrinam paganismi in festis idolorum agebant.

v. 21) *Moses qui a generationibus antiquis in omnibus civitatibus habuit praecones in synagogis, qui omnibus sabbatis legunt eum;* h. e. nunc enim non necessaria est sollicitudo nostra pro Mose, ab antiquo enim et a generationibus primis in synagogis civitatum legebatur. Nos nunc stu-

deamus Dominum nostrum praedicare, et gratiam quae ab eo orta est, quam proposuit omnibus hominibus qui non potuerunt sub lege proficere. Et exinde consenserunt omnes ut fides tradatur Gentibus sine observatione legis.

v. 22) *Viros qui primi erant inter fratres*; h. e. probatos.

v. 37) *Barnabas volebat assumere Iohannem, qui cognominatus est Marcus*; (38) *Paulus vero noluit*: h. e. hic venit cum eis Hierosolymis ut cum eis laboraret in praedicatione apud Gentes; poenituit eum postea et discessit, quia nolebat ut reciperent Gentes fidem in Christum absque observationibus legis. Et litigabat multum cum Paulo et cum non essent accepta eius verba eo modo, dereliquit eos. Cum autem videret nunc p. 94. doctrinam hanc esse communem, rogabat ab eis *ut cum eis consociaretur in hoc labore. Barnabas qui erat vir comis et id tantum intuebatur, omnia sane condonabat Iohanni; Paulus vero qui sollicitus erat de studio doctrinae, et hoc meditabatur, considerabat non esse aptum ad laborem hunc propter levitatem mentis eius; et etiam, quia iam semel expertus erat eum esse suae doctrinae oppositum, et cum res ita se haberet, eum vitabat, ne altercationem haberent. Et Barnabae persuasit ut sibi assentiret, et consideret quomodo recessit ab eis in Pamphilia et eius causae imperfectum mansit tantum opus: non esse mirum, si idem faceret. Et ab hac lite se separavit Barnabas a Paulo, quod utilitati fuit: ut separati ab invicem duplicem laborem perficerent.

v. 40) *Paulus assumpsit Silam et exiit, commendatus a fratribus gratiae*; h. e. orarunt pro eo fratres; quia magnum zelum habuit pro praedicatione et volebat converti Gentes sine circumcisione et observatione mandatorum legis; ideo auxilium a Deo quaesivit. Silas qui se adiunxit Paulo ille erat qui missus est cum Iuda ab apostolis qui erant Ierusalem, Antiochiam, et deinde adscendit Ierusalem; et iterum rediit Antiochiam et invenit Paulum et cum eo exiit. Aut fortasse promiserat id facere et statim ac venit Hierosolymis, exiit cum Paulo ad hoc opus. Et praesertim duxit eum secum Paulus, quia per ipsum ministratum est illud negotium, ut sine observatione legis accipiant Gentes fidem; ita ut testaretur de veritate.

[Caput XVI].

v. 1) *Discipulus quidam Timotheus*, qui iam crediderat in Christum. Cum vero sumpsisset eum Paulus, circumcidit eum, et hoc quidem *fecit ne, si converteret Timotheus Gentes ad fidem p. 95. sine circumcisione et observatione legis, non confirmaretur et non probaretur eius doctrina, cum dixissent illum incircumcisum et alienum esse a lege, et propterea docere quod est contra legem. Imposuit [ei] circumcisionem ut cum doceret elongationem a consuetudinibus legis et a circumcisione, non videretur inimicus legis esse.

v. 3) *Circumcidit eum*, rursum, ne putarent Iudaei eum docere contra legem, quia non fuit discipulus legis.

v. 7) *Non permisit eis Spiritus Iesu proficisci in Bithyniam*; h. e. quare non permisit eis Spiritus Iesu proficisci in Bithyniam? Quia volebat ut per alios salvarentur. Et testatur ipsos factos esse discipulos per alios id quod quasi ad fideles scripsit apostolus epistulam ad Ephesios, qui tamen eum non viderant.

v. 8) *Et cum exissent e Moesia* [1] *regione, venerunt in Troadem regionem*; h. e. videtur illud « Moesia » non de loco qui nunc in Thracia regione sic appellatur dicere; sed ita nominat locum inter Asiam et Bithyniam. Non enim dixisset, ex quo impediti sunt ire e regione Galatiae in Asiam, eos venisse in Moesiam, et inde voluisse proficisci in Bithyniam, et cum etiam ab hoc prohibiti sunt, descendisse in Troadem, si loqueretur de illa regione nunc appellata Moesia, in Thracia sita, et non de alia regione hoc tempore sic appellata, et cuius appellatio hodie mutata est. Quod etiam semper factum est mandato Romanorum, nam transformantur et innovantur et permutant nomina provinciarum.

v. 10) *Statim voluimus exire in Macedoniam*; h. e. inde innuit Lucas se Paulo comitem fuisse.

v. 15) **Et multum coegit*; h. e. difficile erat Paulo ingredi p. 96. in domum eius, ne videretur de quiete corporali sollicitus esse, sed volebat tantum ut homines vitam adipiscerentur.

v. 17) *Illi viri servi sunt Dei vivi*; h. e. gratia divina providit ut eorum hariolae testimonio comprobaretur doctrina apostolorum.

[1] Sic legit auctor, pro Mysia.

v. 18) *Indignatus est Paulus;* h. e. gratia Spiritus commotus est et iratus, et imperavit daemoni qui fugit. Quia continuo clamore suo eorum magnitudinem manifestabat; nolebat autem Paulus, ut testimonio daemonum sibi fides sit, nec indigebat eorum testimonio. Cum in nomine Christi eum increpasset, statim exiit.

v. 37) *Viros Romanos flagellarunt;* h. e. Romanos dixit secundum mores, quia ex urbe erant sub potestate Romanorum constituta.

v. 38) Et propterea *timuerunt;* causa timoris erat ne quis in Romanos deliquisset.

[Caput XVII].

v. 9) *Et acceperunt fideiussores a Iasone*; h. e. aut adducet eos quos recepit in domo sua, aut seipsum praestabit pro eis, quando rogabitur.

v. 11) *Nobiliores erant enim*: h. e. mansueti erant, et a veritate verebantur, nec resistebant. Et in bona voluntate acceperunt doctrinam.

v. 13) *Concitare humanitatem* [1]; h. e. vide, multitudinem hominum vocat « humanitatem », et non omnes homines. Et inde notum est dici humanitatem in sensu particulari et universali; et non secundum garritum Chalcedonensium qui eam universaliter tantum accipiunt.

v. 16) *Moerore afficiebatur in spiritu suo*; h. e. iram quae excitabatur in cogitatione eius innuit: ira implebatur adversus dominos civitatis, qui sapientia famosi erant et adhaerebant
p. 97. *idololatriae.

v. 18) *Quid vult iste collector verborum?* corvi sunt qui colligunt semina; secundum alios est avis quae nominatur « collector verborum » [2]: parva et contempta valde, quae nec ad cibum hominum nec ad oblectamentum utilis est. Et quia putabant doctrinam eius contemptibilem et debilem, « collectorem verborum » appellabant eum.

v. 19) *Et duxerunt eum ad domum iudicii, quae vocatur a r i o s - p a g o s*; h. e. quia haec domus iudicii [3] comprobata erat

[1] Intellige « plebem ». — [2] Graece: σπερμόλογος. — [3] Seu tribunal.

apud eos, quia opinio erat virtutem esse in ea ad revelationem occultorum. Hoc enim credebant e fabulis ineptis quae narrabantur inter eos. Propterea etiam iudicia propter homicidium ibi agebantur. Et idcirco dicebant ei: *Possumus scire, qualis est doctrina haec quam praedicas?* h. e. e domo iudicii Athenae urbs tulit appellationem ab Athena virgine et dea antiqua. Et in urbe erant dii paganorum, inter quos erat unus cuius nomen Ares. Cumque iret quadam die ad amicam suam, accidit ut ceciderit in laqueum, hoc est tendiculum, hic Ares, quem tetendit ei maritus Aphrodites qui vocabatur Hephaestos. Et cum cecidisset in laqueum Ares, fractae sunt nares eius. Et pagani quasi in honorem dei aedificarunt ibi templum, et nominarunt illud a laqueo et a nomine ipsius Ares: h. e. Areopagos; pēgē enim « laqueus » dicitur in lingua graeca. Postea vero, cum locum honorabilem haberent, statuerunt legem ut ibi agerentur omnia iudicia eorum.

v. 23) *Altare cui inscriptum est: Dei absconditi*; h. e. pugna fuit olim Atheniensibus cum inimicis eorum, et recesserunt ab eis in ira; et quia consueti erant daemones *deridere p. 98
eos, apparuit eis daemon quidam et dixit, quia nunquam ab eis honoratus sit, ideo se irasci eis et eos cecidisse in bello. Illi ergo daemoni erexerunt altare tamquam deo. Et quia timuerunt, ne forte sit adhuc deus occultus, qui sit ipsis ignotus, quo neglecto ab eo devincerentur, erexerunt altare alterum et scripserunt supra illud: « Dei absconditi », cum dicerent in semetipsis: Si est deus alius qui non sit nobis notus, in honorem eius hoc altare erectum est, ut sit nobis propitius tempore belli, qui forte ut ignotus non honorabatur. Et ab hoc altari mirabiliter sumpsit beatus Paulus argumentum et dixit coram eis: Quia deo abscondito seu occulto, altare hoc erexistis, illum, quem vos cum ignoretis, vultis colere, veni ut vobis annuntiarem. Non est enim deus quem ignoratis, nisi solum Deum verum, quem solum oportebat vos scire: hunc autem tantum ignoratis quis sit. Rursum, dicitur defectum pluviarum et terraemotus olim fuisse Athenis. Et consilio unanimiter inito faciendi rogationes, continuo oblationes singulis diis suis offerebant, at absolutis oblationibus, cum auxilium minime obtinuissent, sumpserunt consilium [dicentes]: Forte deus sit quicunque qui non sedet terraemotum. Et sculpserunt altare ei quicunque sit,

« quia iam quos existimamus esse, non sunt, et ignoramus si sint alii; huic igitur quicunque sit, si est ignotus, posuimus altare ». Et cum imploravissent misericordiam clementiae eius ob suas angustias, misit eis auxilium, et scripserunt huius rei memoriam, ut ita dicam: « Hoc altare est dei ignoti ». Paulus
p. 99. autem sumpsit sermonem de Christo et dixit *eis: Etiamsi hunc deum ignoratis, quia non recensetur in scriptis vestris, tamen eum colitis. Et didicerunt non aliquem e diis eorum dedisse eis respirationem, sed deum hunc quem ignorabant et cui erexerant hoc altare.

v. 24) *Deus qui fecit saeculum et omnia quae in eo sunt, et ipse Dominus caeli est*; h. e. ipse solus creator est; et non est praeter eum deus. Ideo nec alius creator est.

v. 25) *In templis manufactis non habitat aut colitur*; h. e. quia in omnibus est perfecte et ubique habitat, et supra omnia est.

v. 26) *Et ex uno sanguine fecit omnem mundum hominum, ut sint.* In Ḥarklensi: *Et ipse fecit unum hominem primum, ex quo propagatum est totum genus hominum, quod divisit et distribuit in varias gentes et effudit super faciem omnis terrae. Et distinxit tempora mandato suo*; h. e. aestatem, hiemem, ver, autumnum. *Et posuit terminos habitationis hominum*; h. e. quia in omnibus gentibus mixtae sunt tempestates, et alicubi longior est hiems aut aestas, et ubique hae tempestates diversimode atque inaequaliter constitutae sunt. Et haec vero ita fecit ut daret ansam hominibus, ut requirant quae sit eorum causa, et intelligant Deum esse, et a creaturis eius requirent et inveniant eum.

v. 27) *Et non longe abest ab unoquoque nostrum*; h. e. semper enim nobiscum est et in eo omnes sumus.

v. 28) *In eo enim vivimus et movemur et sumus*; h. e. in eo sumus et operatione eius movemur et sumus. Sapientes ex vobis dixerunt: *Ab eo est progenies nostra*; h. e. hoc dictum est ab Areto de Iovi, qui cognominabatur dominus
p. 100. deorum. Et quia de deo qui videbatur eis *magnus, dictum erat hoc, pulcre colligit sermonem et dicit:

v. 29) *Homines, cum stirps nostra a Deo sit*; h. e. stultitia est itaque de Deo, qui est causa omnium, cogitare illum eis

quae a nobis operantur similem esse: h. e. auro aut sculptilibus et imaginibus, et assimilare divinitati creaturam.

v. 30) *Tempora enim erroris praeterire fecit Deus;* h. e. tempora enim antiqua quibus ignoravistis Deum, praeterire fecit Deus, et dedit vobis remissionem erroris vestri in hisce temporibus.

v. 34) *Quidam ex eis crediderunt. Dionysius et mulier quaedam Damaris;* h. e. multi erant qui crediderunt, sed nomen horum commemoravit, qui praestantiores erant.

[Caput XVIII].

v. 2) *Aquilas et Priscilla exierunt Roma, quia praecepit Claudius ut eiicerent Iudaeos Roma;* h. e. fames enim fuit in hac urbe et ideo expulit rex omnes advenas qui ibi erant. Et alii dicunt: Quia descenderat [Ierusalem] Protonice, uxor eius, eique narravit mortem filiae suae, et eam resuscitatam esse per lignum crucis, et cetera prodigia ibi patrata, ideo expulit Iudaeos Roma.

v. 3) *Lorarii;* h. e. facientes tabernacula.

v. 5) *Constrictus erat in sermone ipse Paulus*; h. e. magnum studium ostendebat propter doctrinam eo quod non habebat auxiliatorem in praedicatione. Cum venissent Silas et Timotheus, adiuvabant eum.

v. 6) *Excussit in eos Paulus vestes suas;* h. e. quasi repelleret eos a sua communione et removeret se a participatione cum eis. *Ego mundus sum; ab hoc tempore proficiscar ad *Gentes*; h. e. hoc dicit: Sine opprobrio sum apud p. 101.
vos; quod meum est feci, et saepius quae congruunt locutus sum vobiscum. Nunc vos luetis poenam propter inobedientiam vestram, nec erit vobis condonatio, quia vosmetipsi fuistis causa perditionis vestrae. Ego vero ad Gentes proficiscar, ipsos ad fidem vocaturus. *Et sic discessit ab eis.*

v. 7) *Vir cui nomen Titus;* h. e. paganus erat qui factus est discipulus legis.

v. 15) *Sin autem quaestiones sunt*; h. e. disputationes. *De verbo*; h. e. sive quoad legem sive quoad Christum. Et *de nominibus*; h. e. Christi aut Mosis; qui ex his oporteat confirmari? quae sunt legis aut quae Christi? Cui autem fidem

praestare deceat: Christo aut Mosi? Cum autem de lege vestra sit contentio vestra, inter vos haec examinate.

v. 17) *Et comprehenderunt pagani Sosthenem*; h. e. pagani sumpserunt fiduciam abhinc, et verberabant Sosthenem, principem synagogae, cum postularent ab eo ultionem pro contumelia Pauli. *Et Gallion non respiciebat ad haec*; h. e. negligebat. Hic ad effectum adduxit illud quod dictum est ei in somno: neminem ei nociturum.

v. 18) *Quia votum voverat*, h. e. Aquilas; quia secundum consuetudinem legis, priusquam crederet, votum voverat tondendi caput suum: quod nunc perfecit.

v. 24) *Apollo,* Iudaeus.

v. 26) *Perfecte ostenderunt viam Domini Apollini*; h. e. perfecerunt eum, tradentes ei quae ipsi deerant in scientia fidei: Apollo enim baptismati Iohannis credebat, sed quae postea acciderant, quomodo surrexit Dominus noster e sepulcro
p. 102. et adscendit in caelum et misit Spiritum *hominibus, ignorabat. Et notat quos baptizaverat Ephesi Apollo, ac Paulus denuo baptizavit, duodecim fuisse; et id quia non erant perfecti in regeneratione Spiritus, et non acceperant Spiritum sanctum, et ignorabant surrexisse Dominum nostrum et dedisse Spiritum, postquam adscenderat.

[Caput XIX].

v. 1) *Et peragravit Paulus regiones superiores*; h. e. regiones Galatiae et Phrygiae nominat superiores; et superiores nominat eas respectu Ephesi.

v. 9) *Et conviciis afficiebant viam Dei*; h. e. vidit autem hos conviciari et blasphemare contra viam Dei; removit Paulus ab eis discipulos. Et postquam discessit ab eis, congregabantur *in schola Tyrani;* h. e. qui postquam credidit, dedit eam illis, quia apta erat ad congregationem eorum qui in cultu Dei instruebantur; aut fortasse doctor erat notus Tyranus ille.

v. 12) *Apportabant fideles sudaria et pannos et imponebant in corpus Pauli,* et mox ponebant supra aegrotos et tentatos, et sanabantur.

v. 19) *Et aestimarunt pretium eorum*; h. e. librorum quos combusserunt, et visi sunt habere pretium multi argenti.

[Caput XX].

v. 7) *Et die prima hebdomadis;* h. e. in quo consueti erant celebrare festum resurrectionis Domini nostri. *Cum congregati essemus ut frangeremus eucharistiam;* Harklensis: « hostiam » dicit. In hac die decretum est hoc mysterium peragendum, in qua deleta est mors per resurrectionem. Nam, etsi lectio Scripturarum et instructio peraguntur in hac die, tamen omnibus sublimior est completio sacramentorum quae est *memoriale bonorum. Dominica hic, dominicam post azyma p. 103.
designat; evidens est quia dixit eos *post dies azymorum iter fecisse in Troadem.* Et cum congregati essent, coepit Paulus [loqui] ad eos, *quia altera die exiturus erat, et producebat sermonem usque ad medium noctis*; h. e. medium noctis, non de nocte post dominicam dicit, nam non per totam diem dominicam locutus est usque ad mediam noctem feriae secundae; sed noctem hic appellat noctem dominicae post sabbatum, inquam, nam his vesperis incipimus congregationem, usque ad cantum galli, quo incipimus ministerium: quia hoc tempore surrexit Dominus noster. Erubescant Armeni cum Chalcedonensibus, quando noctem quae est post sabbatum cum die dominica iungit, et non ut hi, qui a mane computant diem, et noctem dominicae sabbato addunt, illam feriae secundae dominicae. Et iuxta sensum eorum ergo Christus in nocte sabbati surrexit et non primo die hebdomadis [seu dominica].

v. 8) *Et erant ibi lucernae ignis in caenaculo*; h. e. quia adhuc nullas ecclesias aut oratoria habebant, sed in fidelium domibus faciebant ecclesiasticas congregationes, in caenaculo itaque, quod ad id aptum erat, congregabantur; in illa, in contignatione tertia.

v. 9) *Sedebat adolescens, cuius nomen erat Eutychus, in fenestra*; h. e. verba doctrinae Pauli audiebat. *Et mersus est somno profundo;* h. e. captus est somno, quia Paulus sermonem suum producebat. *Et cecidit e tertia contignatione et sublatus est mortuus;* h. e. tumultus vehemens et tristis propter eum factus est.

v. 10) *Et descendit Paulus*; h. e. et finem fecit fletibus eo quod dixit: *Anima eius *in eo est;* h. e. omnino certus erat p. 104.

eum vivere. *Et cecidit supra eum*; h. e. resurrectionem adolescentis operabatur et opitulatus est tempore quo memoria resurrectionis complebatur, ut e miraculo sumeret exemplum resurrectionis nostrae.

v. 11) *Cum adscendisset, fregit panem*; h. e. perfecit mysterium sacrificii. *Et gustavit*; h. e. cibum sumpsit postea; sicut consueti sumus die sabbati annuntiationis (i. e. in vigilia Resurrectionis) ieiunare et postea festum celebrare, ita etiam hi illo sabbato ieiunaverant, et nocte dominicae orarunt perficientes mysteria. Et postea comedit cibum et coepit loqui cum eis, usque *dum adscendit aurora*, quae opportuna erant. Fecit Dominus ut moriretur Eutychus eo tempore, dum commemoratio mortis et resurrectionis agebatur opere eucharistiae, et verbo docebat illam. Hoc paratum est a Spiritu ut dum agebant festum resurrectionis, facto accipiant veram rei demonstrationem ad confirmationem earum quae tunc agebantur et dicebantur.

v. 13) *Cum proficisceretur per aridam*; h. e. qui secum erant misit per mare; ipse profectus est per aridam, quia adiuvaturus erat eos qui erant in via; et per aridam venit Thasum.

v. 19) *Cum servirem Deo cum omni humilitate;* h. e. non me extuli supra quemque vestrum, nec tamquam magister quid nimium quaesivi, nec tamquam apostolus supra aliquem exaltatus sum, sed sicut unus vestrum conversatus sum.

v. 22) *Nunc autem ego vinctus sum Spiritu;* h. e. sed nunc, voluntate Spiritus sancti, quasi in vinculis Hierosolyma proficiscor, et qualis exitus rerum mearum erit aperte dicere non possum.

v. 24) *Mihi vero nil aestimatur anima mea ut absolvam:*
p. 105. h. e. non tam *pretiosa est mihi vita et cara, quam iucundum mihi est cursum mihi creditum in omni gaudio absolvere, et perficere ministerium quod mihi commisit Dominus noster.

v. 32) *Commendo vos Deo et verbo*; h. e. verbum gratiae scilicet eius providentiam hic vocat; providentiae Dei commendo vos, qui potens est vos servare in sua gratia et doctrina quam vos edocui; et *dabit vobis haereditatem*, id est, bona futura cum sanctis.

v. 33) *Argentum, aut aurum, aut vestimenta non concupivi*; h. e. ut ita me imitaremini, ne solliciti sitis de istis.

v. 35) *Curam habere de illis qui infirmi sunt;* h. e. eorum qui malis debilitantur, decet ut curam habeamus, ut quantum possumus ad virtutem trahamus.

Memores estote Domini nostri qui dixit: Beatior est qui dat quam qui accipit; h. e. illud est quod dixit: Quicunque a te petit, da ei [1]. Alii dicunt: Hoc verbum audivit [Paulus] a Domino nostro, etiamsi non sit scriptum. Nobis testis est Mār Iwannīs qui dicit in homilia VIII in epistulam ad Tessalonicenses [2]: Prophetae quidem cum volunt demonstrare fide digna esse quae dicuntur, dicebant « visio Isaiae », et « ita dicit Dominus ». Multi etiam Deum sedentem viderunt ut videri potest: Paulus autem non sedentem vidit, sed quia habebat Christum qui in eo loquebatur, non dicebat: « Haec dicit Dominus », sed eorum loco dicebat: « Experimentum quaerite Christi qui loquitur in me » [3], et rursum: « Spiritum Dei habeo [4] ». Haec quidem omnia Spiritu Dei loquebatur; quod autem nunc dicit, etiam verbo audierat a Deo, sicut et illud quod colloquens cum senioribus Ephesiorum dicebat: « Beatior est qui dat quam qui accipit » secreto audivit. Seniores autem* Ephesi p. 106.
vocat episcopos; et manifestum est eo quod dixit: « Attendite huic gregi in quo constituit vos Spiritus sanctus episcopos » [5].

[Caput XXI].

v. 12) *Rogavimus eum, et incolae, ne proficisceretur Hierosolyma;* h. e. non Spiritus dicebat eis ut suaderent ei non proficisci, si quidem Spiritus in eo erat, sed Spiritus manifestabat eis angustias ei obventuras, et ipsi sua sponte consilium dabant ei ne proficisceretur Hierosolyma.

v. 15) *Et post dies hos;* in Ḥarklensi: *Cum complevissent dies illos*; h. e. septem; *praeparavimus nos et adscendimus* Hierosolyma, h. e. *praeparavimus*, quia putaverunt fortasse maiorem praeparationem ipsis necessariam esse, ideo se muniverunt et praeparaverunt et secum sumpserunt quidquid disposuerant et paraverant, quia profecturi erant Hierosolyma, eo quod qui ibi erant, de Paulo ancipites erant.

[1] Cf. Luc., vi, 38. — [2] *Patr. Gr.*, LXII, 439. — [3] II *Cor.*, xiii, 3. — [4] I *Cor.*, vii, 40. — [5] *Act.*, xx, 28.

v. 16) *Vir cuius nomen Mnason, ut exciperet nos in domo sua*; h. e. non indigebant hoc, nisi quod difficile erat invenire in Ierusalem virum qui susciperet eum; quoniam omnes fideles ibi propter amorem eorum erga legem alienati erant ab eo. Hic Mnason eo quod erat ex antiquis discipulis, et persuasum habebat cura dignos esse, qui docent Gentes extra legem, ideo profectus est cum eis ut reciperet eos in domo sua. Apostolorum vero alii defuncti erant, alii extra Ierusalem erant praedicationi addicti.

v. 17) *Hilariter receperunt nos fratres*; h. e. familia Mnason.

v. 26) *Et sequenti die purificatus est cum eis*; h. e. ut sedaret litem Iudaeorum, qui crediderunt in Dominum nostrum.

p. 107. v. 27) *Cumque advenisset dies septimus*; h. e. erat *ultimus dierum qui praescripti erant ad purgationem eorum secundum legem; in quo offerendum erat sacrificium in templo.

v. 29) *Antea viderunt cum eo Trophimum*; h. e. Trophimus erat fidelis e Gentibus, ille quem non introduxit secum Paulus in templum, ne vituperetur propter eum.

v. 30) *Et traxerunt eum extra templum*; h. e. quia non licebat trucidare eum intra.

v. 33) *Et vinxit eum duabus catenis:* primum, ut satisfaceret voluntati populi; et secundo, ut per hoc sedaret tumultum et perturbationem.

v. 34) *Mandavit ut ducant eum in castra,* in locum ubi solebant agere iudicia sua. Et quia gradibus erat accessus ad locum, portaverunt eum milites propter oppressionem turbae.

v. 38) *Nonne tu es ille Aegyptius?* h. e. putavit tribunus [Paulum] esse eundem, qui fugerit, dum occisi sunt qui cum eo erant. Romani enim trucidarunt eos et congregationem eorum in rebellionem disperserunt.

[Caput XXII].

v. 9) *Et qui mecum viderunt lucem, vocem vero non audierunt*; h. e. quando apparuit Dominus Paulo, scribit Lucas [1]: viri qui cum eo ibant in via audiebant, sed nemo ipsis

[1] Cf. IX. 7.

apparebat; hic vero dixit eos vidisse lucem, vocem autem non audivisse. Et dicimus eos ibi vocem audivisse, verba quae cum voce, aut imaginem quae cum luce erat, non vidisse. Idcirco dixit illud tantum ad discrimen verborum et imaginis. Sunt enim quattuor: lux, imago hominis quae apparuit in luce, vox, verba quae voce efformabantur; duo *noverunt et duo non; lucem p. 108.
viderunt: imaginem quae in medio eius erat, non; et vocem audierunt: verba quae cum ea, non. Et ideo addidit: « Ille qui locutus est mecum », quia hic vocem pro verbis accepit; et notum est eo quod dixit « vox loquens ad me hebraice ».

v. 18) *Non accipient testimonium tuum de me*; h. e. praedicationem.

v. 25) *Virum Romanum non condemnatum flagellabitis?* h. e. Romanum dicit secundum mores; nam e Tarso erat, et civitas haec sub principatu Romanorum erat, et qui in ea habitabant, necessario cives urbis Romanorum erant.

v. 26-29) Ad hunc sermonem centurio; h. e. dux centum; et duxit eum ad tribunum: h. e. dux mille. Et cum audisset eum, interrogavit eum, num Romanus esset? et cum didicisset rem ita se habere, dixit: *Ego multa pecunia acquisivi ius civitatis Romanae*; h. e. fortasse barbarus erat et postea pecunia multa et labore receptus est in ius civitatis romanae, quia gloria et honor magnus erat eo tempore, si quis iure civitatis romanae designaretur.

[Caput XXIII].

v. 3) *Futurum est ut Deus te percutiat, paries dealbata;* h. e. libertatem magnam dabat ei praesentia tribuni, qui non permitteret virum romanum violenter abduci. Dixit ei enim: *Similis es tu parieti debili,* seu conclavi, calce dealbato et adspectu suo multos decipienti. Tu enim qui animam corruptam possides, indutus es veste iudicis et contra legem agis, quae tibi potestatem iudicandi facit, quia praecipis ut sine iusta causa verberarer. *Rursum, *paries dealbata*; h. e. p. 109.
calce obducta ad extra et albescens, sed intra fracta est, iuxta illud [1]: « Similes estis vos sepulcris dealbatis ». *Deus enim te*

[1] Matth., xxiii, 27.

percussurus est propter vulnera mea; ita enim similis es parieti dealbatae, quia portas speciem iudicis secundum legem, et praecipis ut me percutiant contra legem. Aut hoc dicit: Deus te percutiet lepra pro vulneribus meis.

v. 4-5) *Sacerdotem Dei tu convicio afficis? Nesciebam, fratres mei, illum esse sacerdotem*; h. e. nesciebat eum esse sacerdotem, quia a longo tempore recesserat a lege, et non cognoscebat eos qui legis erant aut sacerdotes eius; aut cum irrisione dixit: Nesciebam eum esse principem sacerdotum, quia id opus non est principis sacerdotum, alioquin abstinuissem a maledictione, etiam si merito maledicerem, quia scriptum est [1]: « Principi populi tui ne maledicas! » Rursum, nesciebat, num hic esset sacerdos, quia inde a tempore non venit Ierusalem, et sacerdotes mutari solebant; et propterea dicit: Nesciebam eum. Aut inhonestatem operum eius redarguit; h. e. sacerdos non iubet aliquem percuti illegitime, et eum qui percutit, nemo sacerdotem putat, sed a sacerdotio alienum.

v. 6) *Et cum novisset partem populi esse*; h. e. Pharisaei profitentur esse naturas invisibiles, uti angelos, et daemones, et animas, et resurrectionem confitentur. Sadducaei vero haec negant et etiam resurrectionem, et nihil esse praeter visibilia contendunt. *Propter spem resurrectionis in iudicium vocor*; h. e. quia constanter resurrectionem Domini nostri annuntiabat, ut inde credamus quod nos etiam resurgemus. Et hoc sermone suscitavit inter eos contentionem.

v. 12) *Anathemate se obstrinxerunt quod non essent*
p. 110. *esuri*; h. e. obstrinxerunt *seipsos iureiurando et decretum sibi imposuerunt moriendi, si Paulum non occiderint. Id enim significat: *Non esuri nec bibituri.*

v. 23) *Iaculatores dextera*; h. e. funda.

[Caput XXIV].

v. 10) *A multis annis scio te esse iudicem iustum huius populi*; h. e. vide sapientiam eius! Non verbis vehementibus incipit, sed primo sanat mentem iudicis, ut inveniat eum comem et mansuetum. Non autem est tantum sanatio iudicis in

[1] *Ex.*, XXII, 28.

eo quod locutus est, sed etiam ostendit tantum abesse ut existimaret eum inimicum populi eorum qui convicio afficiebant ipsum, ut sua reputaret beneficia iudicis erga populum, quorum particeps erat; quia cum esset unus e populo, suum reputabat beneficium populi.

v. 17) *Ut darem eleemosynam*; h. e. de illo argento quod oblatum est a Gentibus in auxilium sanctorum, qui sunt Ierusalem, innuit, quod ipse apportavit. In epistula ad Romanos hoc scripsit [1]: « Et proficiscar Ierusalem ministrare sanctis ».

v. 22) *Felix vero, quia cognoscebat hanc viam plene:* h. e. accurate cognoscebat fidem in Christum et quomodo praedicaretur. *Distulit eos*; h. e. quia novít quod sine causa eum accusarint, et ne videretur aperte Iudaeos redarguere, tunc enim Romanis subditi erant, distulit iudicium.

[Caput XXV].

v. 9) *Festus dixit Paulo: Vis proficisci Ierusalem? et de illis de quibus te hic accusant, ibi iudicari coram me?* h. e. hoc dixit propter duo: *primum, ut praestaret gratiam Iudaeis, p. 111.
cum duceret Paulum Hierosolyma, quod quidem ipse peteret ab eo; et alterum, ut si quid calamitatis illi accideret in via a Iudaeis, non accusaretur, cum ille id petivisset.

v. 13) *Venit rex Agrippas et Berenice*; h. e. Agrippas ille quendam principatum obtinuerat a Romanis, et seipsum regem nominabat. Qualis fuerit Berenice respectu Agrippae, non declarat Scriptura. Daniel Ṣalḥaya dixit Berenicem sororem Agrippae fuisse.

[Caput XXVI].

v. 2) *Existímo me ipsum beatum esse, quod coram te defendam.* [v. 3] *Ideo peto ut cum patientia...*; h. e. ipsi per hoc sanationem parat, quia vult illum mansuetum facere et docibilem erga doctrinam; existimabat enim conscientiam iracundia praeoccupatam non assentire vel eis quae persuasione plena sunt, cum autem ad mansuetudinem et clementiam per medicinam sermonis inclinata est, prompte veritatem suscipere, et, probata iustitia, decerni victoriam.

[1] *Rom.*, XV, 25.

v. 27) *Credis tu rex, Agrippa, prophetis*; h. e. assertione hoc dicit et non interrogatione; sed sciebat eum credere, ergo illud « credis » est pro « sane tu credis ». Et propterea subdit illud: *Scio ego quod credis;* repetitione vocis « credis » veritatem magis manifestat. Et ideo dixit Agrippas:

v. 28) *Prope est ut persuaderes mihi, ut sim christianus*; labore parvo et minimo, et verbis paucis persuaderes mihi, ut sim christianus. Respondit:

p. 112. v. 29) *Minimo et maximo*; h. e. non labore parvo, *verbis paucis tantum, sed etiam si oporteret, laborare multum et loqui velim ut omnes vos participes sitis mecum in mente, praeter participationem in vinculis. Etiamsi pretiosa et accepta erant Paulo vincula, tamen illis non essent grata, et ideo precatus est, ut acquirant religionem Dei praeter vexationem et vincula.

v. 13) *Quod effulsit super me et super omnes qui mecum erant lux*; h. e. nemo putet oppositionem esse in hoc quod dixit Paulus [1]: Illi qui mecum erant, viderunt lucem, sed vocem non audierunt, et hic: Effulsit super me et super eos qui mecum erant, lux; et Lucas ait: « Qui cum eo erant, audiverunt vocem ». Et dicimus: Christus, quando surrexit e sepulcro, gloria et luce ineffabili ditavit sanctam carnem suam, in qua venturus est in fine illuminare orbem, quae operiet lucem solis. Et Paulo, quia dubitabat de resurrectione et adscensione Domini nostri in caelos, ei ostendit quasi caelos apertos, et Iesum vidit in figura viri; et prae abundantia lucis laesi sunt oculi eius; sicut videre est, quando quis accedit ad rem aliquam praeter modum, et pro commodo destruit virtutem primitivam. Et exhinc intellexit surrexisse Dominum nostrum et adscendisse et in caelis habitare. Haec eo modo non sunt manifestata eis qui cum ipso erant. Quod si vidissent illum qui lux est et habitat in luce [2], sicut Paulus, etiam illi occaecati fuissent. Et ideo dixit Lucas quod neminem viderunt. Ergo hi qui cum eo erant, viderunt lucem et audierunt vocem quasi in testimonium, loquentem vero et verba non viderunt nec audierunt. Et eo quod occaecatus fuit, putarunt qui cum eo erant, illum aliquid abundantius vidisse.

[1] Comp. IX, 3-7; XXII, 6-9. — [2] I *Tim.*, VI, 16.

[Caput XXVII].

v. 24) *Et ecce, dedit tibi Deus dono omnes qui gradiuntur tecum*; *h. e. multum iuvant et sustinent orationes hominum p. 113. sanctorum ipsos et alios, in vita et in morte eorum. Et vult Deus ut continuo confugiamus ad eos [1], et per eos concedantur nobis bona: sive in vita, ut per Pauli orationem data est gratia illis qui gradiebantur cum eo in navi, et servati sunt ab immersione: sive in morte, ut per David [2]: « Protegam hanc civitatem ».

[Caput XXVIII].

Roma quidem locus Italiae putatur (v. 14).

v. 1) *Barbaros* vocat eos qui in hac insula erant, non quod erant a moribus Romanorum alieni, sed quia non erant Graeci; quemadmodum distinguit Paulus Graecos et Barbaros [3].

Hac vice vicit Paulus in iudicio et liberatus est, ut praedicaret eis qui non audierant eius praedicationem. Et hoc significat in epistula ad Timotheum [4]: « In defensione prima non erat ullus mecum. Et Dominus adstitit mihi et servatus sum ab ore leonis », h. e. Neronis. Et in secundo adventu coronatus est. Rursum, scripsit Timotheo [5]: « Ego ergo effundor et tempus ut dissolvar instat ».

Finem Actorum fecit Lucas primum ingressum Pauli Romam. Eo tempore recessit Lucas ab eo, et ideo non scripsit res posteriores, quia non habuit earum notitiam. Sed in secundo adventu Pauli Romae, Lucas erat cum eo. Scripsit enim Timotheo [6]: « Lucas *solus est mecum ». Et si noverat proficere p. 114. ad scopum suum quae tunc gesta sunt, sine dubio ab ipso scripta fuissent.

Nos vero, cum huc pervenimus in scopum interpretationis, preces imploramus eorum qui legent labores nostros, ut et ipsi misericordiam obtineant.

[1] In textu cod. nostri: « petere orationem sanctorum virorum modo humili, quippe qui non sumus digni orationibus eorum ». — [2] II *Reg.*, XIX, 34. — [3] *Rom.*, I, 14. — [4] II *Tim.*, IV, 16-17. — [5] II *Tim.*, IV, 6. — [6] II *Tim.*, IV, 11.

IN EPISTULAS CATHOLICAS

p. 115. *RURSUM, CUM ADIUTORIO DOMINI NOSTRI, SCRIBIMUS EXPLICATIONEM ET DILUCIDATIONEM EPISTULAE CATHOLICAE IACOBI APOSTOLI.

Post opus libri Actorum et explicationem locorum, qui indigebant elucidatione, o frater noster dilecte! venimus ad explicationem et illustrationem epistularum, quae post librum Actorum scriptae sunt, quae catholicae vocantur. Tu autem ora, ut detur nobis sermo sufficiens virtutem absconditam in eis in apertum educere, quia non invenimus apud priores expositiones completas harum epistularum, sed solummodo brevissimas.

Epistula prima Iacobi apostoli. Hic est frater Domini nostri adscitie (seu metaphorice) et filius Iosephi naturaliter, frater Iudae et Simonis et Iose. Hic primum consecratus est episcopus Hierosolymis. Et eius est liturgia. Et ipse primum sacerdotio functus est Ierusalem; et in hac urbe sacerdotium [ei] traditum est ab apostolis [1].

Epistula; h. e. missiva seu transmissio interpretatur. Hic enim, quia erat episcopus dicti loci, scripsit primum epistulam ad populum fidelem, qui dispersus erat in omnibus locis per diversas captivitates, et ad illos, qui post persecutionem necis Stephani [dispersi sunt]; et ideo ordinata est epistula eius primo loco; rursum, alia ratione, quia pro populo [2] consecratus est, ideo disposita est epistula eius initio ante illam Petri, capitis apostolatus. E septuaginta discipulis est, non autem e duodecim apostolis.

Catholicae appellantur hae epistulae, quia communes sunt et universales, praeter duas ultimas Iohannis.

p. 116. *[CAPUT PRIMUM].

v. 1) *Iacobus servus Dei. Servus*; h. e. servus tribus rationibus dicitur: secundum creationem, et secundum emptio-

[1] Fortasse melius: « et per ipsum traditum est sacerdotium (eucharistia?) apostolis ». — [2] « Populo » Iudaeorum, in oppositionem ad « Gentes » paganas.

nem, et secundum familiaritatem ac propinquitatem, iuxta illud [1]: « Moses servus meus in omni domo mea »; iam est Iacobus servus Dei, quia est creatura eius, et emptus sanguine agni immaculati, et familiaris propter apostolatum suum.

Duodecim tribubus illis, quae sunt in dispersione; h. e. duodecim tribubus illis, quae sunt dispersae inter Gentes diversis temporibus et captivitatibus prioribus, et etiam illis, qui dispersi sunt propter lapidationem Stephani; et eis, qui crediderunt in Christum, scripsit epistulam, non autem illis qui manserunt in Iudaismo.

v. 2) *Quando in tentationes incideritis varias*, h. e. diversas. Tentatio accipitur duplici modo; primo quidem, abundantia saeculi, cupidines deliciaeque tentationes appellantur; altero autem modo, tribulationes et vexationes saeculi. Et hi (fideles) altero modo tentati sunt, nam eorum alius amisit suas divitias, alius expulsus est e loco suo et spoliatus est. Et hoc altero modo derelictus est Iob ut probaretur, et primo modo, apparuit dives, quia terra eius multos reditus ei protulit.

v. 4) *Patientia autem opus perfectum sit*; h. e. ratio agendi praestans et expers murmurationis.

v. 5) *Si quis vestrum indiget sapientia*; h. e. non sapientiam profanam indicat, sed sapientiam veram et spiritalem.

v. 6) *Postulet autem in fide, nil haesitans*; h. e. mente ardente et simplici decet eum postulare scientiam veram, secundum *illud quod dictum est in Scriptura [2]: « Fili mi, ne p. 117.
mentiaris in virtute Dei, neque pugnes adversus eam duplici corde ».

v. 8) *Vir duplex anima*; h. e. qui haesitat in mente sua et turbatur in viis suis, et est in corde eius unum et in ore eius alterum.

v. 9) *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua*; h. e. fratrem humilem vocat pauperes spiritu, qui perpetuo elevati et laudati sunt propter honorem et laudem, quae a Deo ipsis conceditur.

v. 10) *Qui vero dives, in humilitate sua*; h. e. homines vitam transitoriam et corporalem amantes, se ipsos extollunt in rebus saecularibus, et possident cor iactans propter divitias

[1] *Num.*, XII, 7. — [2] Cf. *Eccli.*, I, 36.

suas, sed in terra sunt, et humiliati et deiecti apud Deum, et instar floris arborum et foeni seu herbae, quae aquis privantur.

v. 11) *Statim ac exoritur in eos sol, arescunt et pereunt:* sic etiam divites qui destituuntur aquis vitae, nempe timore Dei et doctrinis eximiis, statim ac exorietur super eos sol iustitiae et inveniet eos orbatos virtute, arefaciet eos, h. e. proiiciet eos in gehennam ignis. Et Christum nominari solem testatur Malachias [1]: « Et vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae, et sanitas in lingua eius ». *Et pulcritudo adspectus eius perit*; h. e. secundum illud quod dixit David [2]: « Quia non sumet secum quidquam in morte sua neque descendet cum eo gloria eius ». *Etiam dives in itineribus suis crescet:* h. e. in moribus suis.

v. 12) *Beatus vir qui sustinet tentationes*; h. e. speciem tentationum et tribulationes non reprehensione dignas indicat: Iob enim talem etiam tentationem perpessus est et sustinuit; (*accipiet*) *coronam vitae:* h. e. coronam vocat gaudium ae-
p. 118. ternum. Quemadmodum qui *vincit in agone, multa tribulatione et labore vincit, et postea coronatur: ita etiam qui vincit tentationes irruentes in eum, coronabitur corona vitae a Deo.

v. 13) *Nemo, cum tentatur, dicat: A Deo tentor;* h. e. innuit tentationem turpitudinum seu cupidinum quae enascitur in nobis nostra voluntate; mala enim cupido scortationis, furti, caedis et ceterae cupidines *pariunt peccatum; e peccato mors est*; « mortem » autem hic vocat mortem peccati, iuxta illud, quod dixit Paulus [3]: « Quae faciens luxuriam, hoc est libidinem, mortua est vivens ».

v. 17) *Omne donum bonum et omne munus perfectum;* h. e. « donum » est, sicut dixit Paulus [4], quod « alii datur spiritus sapientiae, et alii scientiae ». Rursum, « donum » est illud, quod datur nobis per gratiam, cum [non] aliquid antea praestitimus. « Munus » est quemadmodum munus episcoporum aut presbyterorum et diaconorum. Rursum, « munus » est honor qui fluit et descendit e benignitate Dei, quamvis non simus digni. *A patre luminum*; h. e. « Patrem » vocat Deum

[1] Mal., iv, 2. — [2] *Ps.* xlviii, 18. — [3] *Rom.*, vi, 12-13. — [4] I *Cor.*, xii, 8.

Patrem, et « lumina » Verbum et Spiritum, qui sunt e Patre causa, illud unigenitus et alter procedens. Rursum, « Patrem » vocat Deum, et « lumina » vocat angelos, quasi « lumen alterum ». Rursum, *omne donum bonum*; h. e. « donum » vocat munera Spiritus sancti, « lumina » apostolos et sanctos, iuxta illud [1]: « Vos estis lux mundi », et dedit Christus facultatem et virtutem sanctis, quibus faciant signa. Rursum, « lumina » vocat solem et stellas, quas [Deus] ipse creavit, et dedit eis ut luceant. *Apud quem non est mutatio*; h. e. « mutatio » enim et transformatio creaturis inhaeret, eum vero *qui crea- p. 119.
tor est, non invadit transformatio vel *obumbratio mutationis*.

v. 18) *Fecit nos primitias quasdam creaturarum suarum*; h. e. non quomodo hominem primum formaverit, sed honorem quem ei dedit indicat, et potestatem, secundum illud [2]: « Dominamini super animalia ».

v. 19) *Sit velox ad audiendum*; h. e. verba divina et narrationes proficuas, quia non inducit auris periculum seu detrimentum sicut lingua. *Et tardus ad loquendum*; h. e. cum cautela oportet uti lingua, ne in errorem ducat et loquatur verba incongrua aut accuset proximos. *Tardus ad iram*; h. e. praecepit ne citius irascatur, sed ut coerceat furorem qui, sicut ignis, hominem incendit.

v. 20) *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur*; h. e. « ira » enim duobus modis accipitur: est enim ira laudabilis, et est non laudabilis; verbi gratia, quando irascimur in Satanam qui seminat in nobis semina mala, et quando iratus est Paulus in Corinthios et Galatas et sanavit eos. Et de hac ira rursum scribit Ecclesiastes [3]: « Melior est ira risu ». Ut enim irascamur proximis, quando peccant, in eorum correctionem, melius est quam ut rideamus cum eis et sinamus eos currere in malitias. Ira vero mala est, secundum quod dixit Dominus noster, « non decere irascamur fratribus nostris frustra », hoc est in vanum. Et dicit apostolus hic: Qui irascitur sceleste fratri suo, iustitiam non operari, sed detrimentum sibi.

v. 21) *Proiicite a vobis omnem immunditiem*; h. e. peccatum et varias lascivias quae corrumpunt animam, sicut sordes et aerugo corrodunt ferrum et omnia vasa. *Excipite *verbum* p. 120.

[1] MATTH., V, 14. — [2] *Gen.*, I, 28. — [3] *Eccl.*, VII, 4.

insitum naturae nostrae: h. e. legem naturalem innuit. In natura enim inseruit Deus, ut amet bona et odio habeat mala.

v. 22) *Estote effectores sermonis et non auditores* [tantum]; h. e. sermonem vocat hic legem et praecepta; et dicit: Opere perficite praecepta, quae in Scripturis sunt, et non tantum auditu et sermone suscipite ea. Et exemplo id confirmat:

v. 23) *Ille enim qui audit verba divina et non adimplet quod audivit opere, similis est illi qui considerat et intuetur speculum purum; et videt seipsum et postea oblitus est imaginem suam, quam viderat.*

v. 25) *Ille autem qui perspexit in legem perfectam libertatis*; h. e. qui considerat legem quam Deus ab initio posuit naturae humanae, ut diligat bona et adhaereat creatori suo, et permanet in lege naturali atque in praestantia, quam dederat ei Creator, creando eum « ad imaginem suam et similitudinem suam », is factor est pulcrorum, et dabitur ei beatitudo adnexa praecepto Domini.

v. 26) *Si quis existimet se servire Deo et non contineat linguam suam*; h. e. si quis putet se colere Deum, et non parcit linguae suae et continet eam, ne loquatur profana, sed in aberratione cordis sui loquitur mala et futilia, hic quantacunque sit virtus eius, uti ieiunium, oratio, castitas, misericordia: vana est et non accipitur. Et hoc testatur Dominus noster, qui dixit [1]: « Ex verbis tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis », et Paulus [2]; « Nulla verba odiosa exeant ex ore vestro ».

v. 27) *Religio enim pura*; h. e. ministerium enim et ser-
p. 121. vitium Dei perfectum, est ut *curet quis de orphanis *et viduis* et satisfaciat necessitatibus eorum, et *conservet se in puritate et castitate in hoc mundo.*

[Caput II].

v. 2) *Si enim introierit in congregationem vestram quis annulum aureum* [habens]; hoc est: abhinc incipit loqui de personarum acceptationem facientibus et mundum amantibus. Secundum consuetudinem Iudaeorum ecclesiam adhuc vocat

[1] Matth., xii, 37. — [2] *Eph.*, iv, 29.

« congregationem » et dicit: Si divitibus et ornatis auro et vestibus, maiorem honorem tribueritis propter divitias eorum, pauperes vero contempseritis propter paupertatem eorum, iam facti estis haesitantes in fide, et inanes, et infirmi in religione. Qua enim ratione illum, qui est membrum corporis Christi et sicut dives dignus habitus est dono sacramentorum, contemnis tu propter paupertatem eius, et oblivisceris illam aequalitatem, quae a Deo tributa est in creatione universali, et etiam in fide?

v. 4) *Et factus es iudex et discretor cogitationum malarum,* h. e. diabolicarum. Calumniatoris enim est doctrina quae [docet] ut honoremus unum propter divitias mundanas et corporales, et contemnamus alterum propter paupertatem eius in rebus saecularibus.

v. 5) *Nonne Deus elegit miseros, divites autem in fide...?* Non dicit Deum eligere unum et alium contemnere. Liberi enim arbitrii est ut quisquis ita se gerat ut eligatur et honoretur a Deo; si enim quis divitias acquirat in pietate et fide, quamvis sit pauper in corporalibus, electus est apud Deum, sicut Apostoli et Iohannes Baptista, iuxta quod dixit Paulus [1]: « Elegit Deus hos, quorum genus exiguum est, et eos qui nihil habent, ut perdat qui habent ».

v. 6) *Nonne divites opprimunt vos?* h. e. divites saeculi continuo arrogantes et elati sunt, et superbiunt *supra paupe- p. 122.
res, et arripiunt quae eorum sunt, et in avaritia sua ad tribunale deducunt eos.

v. 7) *Et illi blasphemant nomen pulcrum, illud quod invocatum est super vos;* h. e. dicunt apud se: Nos per iustitiam nostram divites sumus, et hi propter malitiam suam pauperes sunt. Rursum, « blasphemant » quia putant se a Deo habere abundantiam et divitias, quae per iniuriam et oppressionem congregatae sunt. *Nomen pulcrum;* h. e. christianitatis, seu « indutus Christo ». Christiani enim ad hoc vocati sunt, ut quemadmodum pares sunt nomine et fide, ita etiam indigentiis corporalibus sint pares. Illi enim, denegantes, misericordiam [2] fratribus suis, aperiunt os paganorum ut blasphement nomen pulcrum christianitatis.

v. 8) *Si tamen legem regiam perficitis vos;* h. e. lex

[1] I *Cor.*, I, 27 (28). — [2] Ad verbum: Claudentes misericordias suas.

regia, seu Dei regis. Innuit quod sequitur: « *Diliges proximum tuum sicut teipsum* »: h. e. sicut ipsi vultis honorari ab aliis, et amari, ita amate alios [1] et honorate eos.

v. 9) *Si enim personas accipitis:* h. e. iuxta studium partium agitis, sub damnatione alligati estis et redarguet vos lex Dei, quae praecipit vobis: Non occides, et: Non furaberis, et cetera; quoniam ille qui transgreditur unum de praeceptis, sub damnatione erit; sicut passer qui uno membrorum aut ungularum capietur in laqueo, integer captus erit et irretitus: ita, qui occidit tantum, aut furatur, aut adulterium committit, aut plenus est invidia, aut facit acceptionem personarum, subiectus est peccato.

p. 123. *v. 12) *Qui per legem libertatis iudicandi estis;* h. e. secundum ea quae propria vestra voluntate feceritis, iudicabimini in die ultimo.

v. 13) *Iudicium enim absque misericordia fiet super illum, qui non fecit misericordiam;* h. e. qui enim non miseretur super delinquentes qui poenitentiam ostendunt, et qui non miseretur sociorum suorum nec extendit ad eos manum misericordiae: ita apparebit Deus absque misericordia erga eum. Dicet enim ei: Quia clemens non fuisti, non assequeris clementiam! *Exaltatur enim misericordia supra iudicium;* h. e. miseratio seu misericordia non iudicabitur, nec detinetur sub iudicio, sed supra iudicium et vituperium est. Syrus dicit: « Elevati per misericordiam supra iudicium », h. e. elevabimini per philanthropiam supra iudicium; non enim videbimini sub condemnatione iudicii.

v. 14) *Si se fidem habere dicet quis, opera autem non habet;* h. e. vult hic loqui de contemplatione et actione, seu de fide et operibus, et laudat opera seu actiones, et ostendit ex operibus adscendere hominem ad fidem.

v. 17) *Ita fides, si non habet opera, mortua est, sola* [2]; h. e. si enim habes fidem veram, et iacet frater tuus in indigentia, et non extendis manum tuam ad eum, fides tua mortua est, quia expers est vitae seu operum et virtutum. Et forsitan dicet quis: Quomodo ergo dixit Paulus [3] « per fidem iustificari

[1] In alio codice: « invicem ». — [2] Ad verbum: « in sua solitudine ». — [3] *Rom.*, III, 28.

hominem absque operibus », et Iacobus dixit hic « fidem absque operibus mortuam esse? » Et dicit Mār Severus: « Paulus loquitur de fide ante baptismum, quia dum *quis credit sine operibus p. 124.
et baptizatur, iustificatur. Iacobus de fide post baptismum docet eam esse mortuam si sit expers operum; sicut Christus postquam baptizatus est, coepit agere et ieiunari. Et Paulus adduxit in exemplum Abraham antequam circumcideretur, figuram baptismi, quod potest fides vivificare hominem; Iacobus autem in exemplum adducit Abraham postquam circumcisus est seu baptizatus est, quia circumcisio symbolum erat baptismi, et sine operibus homo iustificari non potest post baptismum »; ergo, si crediderit quis et baptizatur, dum non habet opera, et moritur statim, iustificabitur; si autem, postquam credidit et baptizatus est, non adhibet opera praestantia, condemnabitur.

v. 19) *Etiam daemones credunt et tremunt:* etiam enim daemones credunt Deum esse creatorem eorum, et contremiscunt; sed, quia non custodierunt mandata eius nec fecerunt voluntatem eius, eiecti sunt e caelo.

Et post haec adduxit Abraham in exemplum, qui per opera iustificatus est; h. e. eo quod voluntarie obtulit filium suum in sacrificium. Et etiam Rahab meretrix non per fidem iustificata est, sed quia custodivit mandatum Dei et occultavit exploratores. Et addit postea:

v. 26) *Sicut corpus absque anima mortuum est: ita etiam fides absque operibus,* hoc est moribus laudabilibus.

[Caput III].

v. 1) *Ne multi magistri fiatis, fratres mei*; h. e. hic docet, quod non oporteat, ut quis renuat esse in subiectione, et cupiat principatum, et dicit aurem non adducere damnum uti linguam. Etsi enim principatus est laudabilis, tamen nonnisi ei, qui scit se gerere in eo pulcre, convenit. Qui vero non didicit, si docebit, praeterquam deridebitur ab hominibus, debet cruciari *a Deo propter ignorantiam eius, et praeterea p. 125.
quia adscendit in gradum qui non erat conveniens ei.

v. 2) *Multis enim peccamus omnes*; h. e. si enim in actionibus humanis, dum peccat quis lingua sua, sententia plectitur

a iudicibus: qui vero adscendit cathedram doctrinae et loco utilium loquitur blasphemiam, quantis tormentis et damnationibus tradetur! *Si quis in sermone non labitur;* h. e. is enim qui non errat in verbis suis, sed disponit ea in sermone suo ita ut ex eis sit utilitas auditoribus, hic perfectus est in scientia et diriget et subaget corpus suum, et non rediget corpus animam in servitutem.

v. 3) *Ecce frena in os;* h. e. quemadmodum enim camus, h. est frenum, domat equum et facit eum servire homini.

v. 4) *Et etiam navis a minimo ligno*, hoc est gubernaculo, *adducitur quo vult nauta.* Sic in doctrina perfecta necesse est, ut erudita sit lingua docentis eo modo, ut possit istos qui feri sunt quasi equi, et illos qui in mari, hoc est in mundo, a ventis vehementibus peccatorum iactantur huc et illuc ad instar navium confractarum, familiares servosque facere, et salvos educere in portum.

v. 5) *Ita et lingua membrum est parvulum, et extollit se:* h. e. elevat se. Dicit enim: etsi membrum parvulum sit lingua, tamen, nisi coerceatur timore Dei et scientia, tumultus et pugnas et neces pariet, iuxta quod dictum est [1]: « Lingua ruina est hominibus, cum in sermone non gubernatur ». *Ignis parvus silvas multas* (incendit); h. e. quemadmodum scintilla, seu favilla ignis, silvam arborum siccarum incendit, ita etiam
p. 126. lingua hominis, accensa *igne irae et privata timore Dei, silvam, seu mundum, h. e. seipsum et alios, incendit et perdit. Hominem vocat mundum sceleris et peccati propter mala quae facit, dum in natura sua purus et innocens creatus est.

v. 6) Similiter *etiam lingua, constituitur in membris nostris:* h. e. dicit linguam, quae collocata est et constituta in corpore nostro, totum corpus incendere per verba turpia, et totum genus delere per accusationes suas, et flagrare ut ignem, ut comburat omnes homines. In versione syriaca ita scriptum est: « Et lingua, cum sit inter membra nostra, commaculat totum corpus nostrum »; h. e. « membra » socios nostros vocat, secundum quod dixit Paulus [2]: « Vos corpus estis Christi et membra in loco vestro ». Et dicit: quamdiu est lingua in loco suo, scilicet stat in ordine et loquitur sancta, non peccat;

[1] Cf. *Eccli.*, v, 15 — [2] I *Cor.*, xii, 27.

quando vero est in membris, scilicet in sociis et proximis, et detractat eis et accusat eos calumnia, commaculat totum corpus, scilicet omnem ecclesiam, quae est corpus Christi.

v. 7) *Omnis enim natura bestiarum;* h. e. exemplo utitur et dicit: Natura animalium et volucrum et reptilium subiicitur homini, secundum illud [1]: « Dominamini in pisces maris ». Omnes enim species irrationalium potest domare,

v. 8) *linguam vero non potest domare et subiugare,* quando remotus est a timore Dei et scientia homo, cuius est (lingua). Et ideo dixit: *Malum autem incoercibile est lingua;* h. e. quando non subiicitur timori Dei.

v. 9) *Ipsa benedicimus Deo;* h. e. quae creata est, ut ea benedicamus et glorificemus Deum, *ipsa* incongrue **maledicimus hominibus qui ad imaginem Dei facti sunt,* et perdimus eos per accusationem; et contumelia imagini illata ad prototypum adscendit. p. 127.

v. 11) *Num est possibile, ut ex una scaturigine?* hoc est: Quemadmodum impossibile est, ut e fonte aquarum dulcium emanet fluentum amarum; et *ficus non profert olivam, nec vinea, seu vitis ficus:* ita nec e lingua quae creata est ad laudem, par est ut exeat contumelia. « Fontem » os appellat, et « aquas dulces » verba praestantia, « amaras » vero sermones malos.

v. 13) *Ostendat e pulcris conversationibus;* h. e. ex actionibus ordinatis virtutes eius perspiciantur.

v. 14) *Si autem zelum amarum habetis;* h. e. « zelum » hic invidiam vocat. Duobus modis accipitur « zelus »: unus est laudabilis, sicut ille Eliae, « qui zelo zelatus est pro Domino » [2], et secundum quod dixit Paulus [3]: « Studete igitur, fratres mei, prophetare »; et [4]: « Aemulor enim in vos... », et « zelus Dei ». Et est zelus malus; sicut ille de quo rursum dixit Paulus [5]: « Zelus, furor, ira » et cetera; et ille est de quo hic (agitur), et ideo vocat eum amarum. *Ne gloriamini et mentiamini adversus verum;* h. e. adversus veritatem; ille enim, in quo est zelus seu invidia et contentio, adversarius est veritatis.

[1] *Gen.*, I, 28. — [2] III *Reg.*, XIX, 10. 14. — [3] I *Cor.*, XIV, 39. — [4] II *Cor.*, XI, 2. — [5] *Gal.*, V, 20.

v. 15) *Sapientia ista*: h. e. si quis astute agit et machinatur, ut male faciat sociis suis, non est sapientia eius a Deo, sed a daemone, qui amat tumultus et contentiones.

v. 17) *Sapientia, quae desuper* [est]: h. e. sapientia divina, docet hominem pudicitiam et humilitatem et obedientiam et
p. 128. misericordiam, et amovet eum ab acceptione personarum; *et hi *fructus iustitiae* in pace et concordia et pacatione *seminantur*.

[CAPUT IV].

v. 1) *Unde bella et unde rixae?* h. e. interrogat, unde sint ista, et statim docet bella et rixas oriri in hominibus ex eo quod amant malas cupidines, quae cum habitant in corpore, progignunt in eo turpes passiones, et cupidus est (homo) caedis et divitiarum, et occidendi alterum rapiendique possessionem eius; et invidet aliis et desiderat aliena; et ei qui talis est non conceditur ut adimpleat desiderium suum.

v. 4) *Et adulteri et adulterae, nescitis quod amicitia mundi inimicitia Dei est?* h. e. sicut illum, qui accedit ad vitiandam uxorem socii sui, adulterum vocant: ita et qui reliquit amorem Dei et diligit adhaerere mundo et cupidinibus eius, adulter appellatur. Dicit enim Dominus noster [1]: « Quod si e mundo fuissetis, mundus quod suum est amavisset ». « Mundum » hic vocat malos homines, et divitias, et malas cupiditates, et vanam gloriam; qui enim has turpitudines amat, et divitias, seu mammonam iniquitatis, inimicus Dei est.

v. 5) *In zelo concupiscit spiritus qui habitat in nobis*; h. e. in invidia et superbia capta est quandoque anima, quam vocat spiritum.

v. 6) *Gratiam autem nimiam dedit nobis Dominus noster*, quae colaphizet superbiam per humilitatem. Et adducit exemplum e Proverbiis [2]: « Deus adversus superbos resistit, humilibus autem dat gratiam ».

v. 7) *Subditi ergo estote Deo*; h. e. quia docet vos humilitatem et mansuetudinem, iuxta illud [3]: « Sumite iugum meum
p. 129. *in vos ». *Et resistite Satanae*: h. e. Calumniatori, qui vult vos in superbiam deiicere.

[1] IOH., XV, 19. — [2] *Prov.*, III, 34. — [3] MATTH., XI, 29.

v. 8) *Emundate manus vestras;* h. e. ab iniuria et effusione sanguinis; *et sanctificate corda vestra, duplices animo;* h. e. duplicis mentis, qui habetis unum in corde vestro et aliud in ore vestro. « Sanctificate », hoc est: separate a cordibus vestris dolum et ambiguitatem sermonis, quia finis fallacium in luctum desinit.

v. 10) *Et qui se humiliat propter Dominum, exaltabitur* et elevabitur ad regnum.

v. 11) *Et ne loquamini adversus invicem*; h. e. nolite calumniari fratres vostros, neque accusare eos; qui enim delinquit, eum lex iudicat et legislator. Quis constituit te iudicem, cum tu quidem delicto detinearis? Antea « educas trabem ex oculo tuo, seu magnum peccatum, et dein apparebit tibi festuca quae est in oculo fratris tui » [1], h. e. offensio minima. Per hoc igitur vult eos trahere ad philanthropiam, et ne accusent se invicem inaniter. *Non es effector legis;* h. e. non es subiectus legi, nec faciens et agens quae praecipit lex; sed videris esse *iudex eius,* h. e. legem ipsam tu iudicas, quod non licet; lex enim omnes iudicat, at ipsa non cadit sub iudicium.

v. 13) *Quid autem dicemus illis qui dicunt: Hodie vel cras;* h. e. hic vult redarguere illos qui negotiis saecularibus addicti sunt, et non sentiunt vitam suam mutuo acceptam esse et transire sicut nebulam et umbram. Dimiserunt enim confidentiam in Dominum, qui potest ditare et pauperem facere, « vivificare et mortificare », secundum verbum Scripturae [2]; et in vanitate cordis sui, quod non intelligit, in se ipsos confisi sunt; et haec fiducia seu superbia, a malo seu diabolo est. p. 130.

*v. 17) *Quisquis novit bonum et non exsequitur illud;* h. e. qui prius didicit custodiam praeceptorum esse bonum. Et contulit Deus nostrae naturae tenere bonum et evitare malum; ergo quicunque relinquit virtutem et adhaeret malitiae, servus est peccati. Rursum, *qui scit bonum;* h. e. qui potest iuvare captivos et misereri pauperum et possidere animam suam in puritate; *at qui non exsequitur ista, peccatum habebit;* h. e. damnationem.

[1] MATTH., VII, 5; LUC., VI, 42. — [2] I *Reg.*, II, 7.

[Caput V].

v. 1) *O divites, ululate et plorate:* h. e. accusat divites in materialibus rebus, et dicit: *Multae tentationes obvenient vobis* propter divitias; saepius enim divitiae vestrae sicut triticum et vinum et oleum pereunt et corrumpuntur et putrescunt; et vestes sumptuosae [1] comeduntur a tinea; et aurum et argentum coacervatione et absconsione in terra, aeruginem contrahunt et recipiunt sordes, quae sunt aerugo; et haec immunditiesr, pernicies terrestris divitiarum, docet sordes et damnum, quod inducitur in animas vestras, et peccatum et sordes alienorum quae congregastis.

v. 4) *Incendit vos igne inexstinguibili;* h. e.... [2] *merces operariorum, qui messuerunt:* h. e. sensu quidem materiali redarguit defraudatores mercedis operariorum et mercenariorum. Hac de re praecepit Moses [3]: « Ne pernoctet apud te merces mercenarii »: quia plerumque defraudant divites mercenarium eius mercede. Spiritaliter autem vocat « operarios » apostolos et doctores, qui collegerunt ex agris, scilicet animabus hominum, semen cultus daemonum et doctrinas haereticas,
p. 131. et quaerebant accipere *mercedem laboris sui, veram fidem cum exercitatione operum. Illi vero, loco huius mercedis, redierunt ad antiquos mores peccati et opera turpia, quae amputata sunt ex eis. Et ideo dixit Apostolus: *Et clamor illorum, qui messuerunt;* h. e. vox doctorum, qui messuerunt e vobis mala, *ecce clamat ad Deum exercituum* seu potentem. « Quia iterum convertistis vos ad aviditatem, et delicias et voluptates corporales », sicut boves, qui nutriuntur *in diem mactationis* (v. 5).

v. 6) *Condemnastis et occidistis iustos;* h. e. innuit prophetas qui necati sunt ab eis, et postea Christum, qui factus est nobis iustitia a Patre, quem condemnarunt ad mortem, et occiderunt eum sicut [victimam]. Et non restitit eis, non clamavit aut litigavit cum eis, sicut dixit Isaias [4], « sed agnus ad occisionem ductus est ».

[1] Gallice: « brodées ». — [2] Hic aliquid excidisse videtur. — [3] *Lev.*, XIX, 13. [*Deut.*, XXIV, 14]. — [4] Is., LIII, 7; Ier., XI, 19.

v. 7) *Longanimes estote, fratres mei;* h, e. consilium dat fidelibus acquirendi patientiam, et ne sint dolore affecti propter persecutiones, quae eis acciderunt. Et dicit: *Sicut agricola patiens est erga terram, usquedum veniat pluvia praecox;* h. e. prima, illa nempe autumni, quae diebus mensis rabi'ya [1], et *serotina;* h. e. altera, quae diebus nīsān, seu verni, et postea crescit semen eius, et colligit laetos fructus: sic etiam vos tolerate tentationes, quae pluviae instar veniunt super vos, quia proximus est salvator vester Deus.

v. 9) *Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum;* h. e. nolite angustiari et lugere propter eos, qui pro Domino nostro exagitati sunt, neque scandalizemini (dicentes): Cur sancti persecutionem patiuntur? ne forte ob scandalum iudicemini et condemnemini. *Ecce iudex ante portam stat;* h. e. iudex horum qui persecuti sunt fideles, *et illorum qui offenduntur et p. 132. murmurant (dicentes): Cur mali prosperant et iusti vexantur?

v. 10) *Exemplum accipite, fratres;* h. e. similitudinem et exemplum accipite vobis patres et prophetas, qui vexati sunt in mundo et longanimes fuerunt.

v. 11) *Et finem Domini;* h. e. dicit: Vidistis quanta sustinuit Iob et fuit longanimis, et finem eius certaminis audistis: remuneratus est hic ad duplum, et in mundo futuro gaudio inamissibili.

v. 12) *Nolite iurare;* h. e. avertit eos iterum a iuramentis, quemadmodum docuit Dominus noster [2]: « Ne dicatis unquam 'per caelum' et cetera; sed sit sermo vester: 'Etiam, etiam'; h. e. quod est, esse dicite; et: 'Non, non'; h. e. quod non est, non esse; ne sub peccatum et condemnationem incidatis, si mentiamini.

v. 13) *Tristis est unus ex vobis;* h. e. si affligatur quis inter vos, ad orationem confugiat. *Et si est in gaudio, laudes divinas cantet.*

v. 14) Et si debilis seu aegrotus, petat misericordiam a Deo per sacerdotes et per oleum orationis, quod figurat misericordiam Dei erga nos: servabitur ab aegritudine corporali et spiritali, et *peccata eius remittentur.*

v. 15) *Confitemini ergo invicem peccata vestra;* h. e. prae-

[1] Mensis musulmanorum. — [2] Matth., v, 34.

cipit, ut confiteamur peccata nostra, sicut Iohannes Baptista docuit [1]: « Veniebant ad eum turbae, confitentes peccata sua ». Si quis enim confitetur peccata sua hic, ibi non revelabuntur; et qui hic peccatum suum detegit, vitabit confusionem coram Deo. Damnandi igitur, qui abolent confessionem et oppositi
p. [illegible] sunt Scripturis. **Et orate unus pro altero, ut sani fiatis*; h. e. qui orat pro socio suo, medicinam sibi parat, liberans se a morte peccati.

v. 16) *Et multum quidem valet oratio iusti;* h. e. qui iustus est in viis suis, virtutem habet oratio eius multo maiorem quam peccatorum.

v. 17) Quemadmodum clausit Elias propter iustitiam suam caelos per tres annos et dimidium, et postea praecepit et *descendit ros et pluvia.*

v. 19) *Si quis erraverit a veritate;* h. e. iterum adhortatur ut habeamus curam de sociis nostris; eius enim, qui recessit a fide et operibus, quae « veritatem » vocat (Apostolus), si curam habeatis et *reducatis eum* ad fidem et virtutem, et *servabitis animam eius* a morte peccati et *delebitis multitudinem peccatorum eius.* Et pro illo, qui conversus est curis vestris, accipietis remunerationem, secundum quod dictum est a Ieremia [2]: « Qui educet pretiosum e sordido, sicut os meum erit »; h. e. ori Dei comparabitur os quod sordidum et impurum faciet pretiosum, hoc est virtuosum et bonum.

EXPLICIT EPISTULA MAR IACOBI, APOSTOLI, QUI EST FRATER DOMINI NOSTRI. AMEN.

[1] MATTH., III, 6. — [2] IER., XV, 19.

*Rursum, scribimus expositionem epistulae catholicae primae Petri [1], quam fecit Dionysius peregrinus, qui concinnavit expositionem epistulae secundum versionem Thomae Ḥarklensis. p. 134.

[Caput I].

v. 1) *Petrus apostolus:* h. e. Petrus seu saxum appellatus est propter firmitatem suam in fide et amorem suum erga magistrum suum. *Qui sparsi sunt in Ponto;* h. e. qui dispersi sunt per loca, e tempore priorum captivitatum, et postea, causa persecutionis excitatae a concivibus suis.

v. 2) *Secundum praescientiam Dei;* h. e. electionem eorum innuit. « In praescientia », quia vocat eos « electos », dicit in praescientia Dei omniscienti eos electos esse; non quod eligat hos et alios reprobet, sed penes arbitrum illorum est causa electionis eorum, et voluntas istorum est causa reprobationis eorum. Rursum, secundum praescientiam, in praescientia Dei et *Patris:* apostolum Iesu Christi nominavit seipsum; et exponens nobis rationem sui apostolatus dixit: *In sanctificatione Spiritus ad obedientiam et adspersionem sanguinis Iesu Christi*, h. e. ad hoc electus est. Si igitur, qui credunt in Christum, sanctificantur per Spiritum, et effundet etiam in nos de sanguine suo sicut in sanctificationem: quomodo igitur non sanctificabit divinitus in Spiritu suo per suum sanguinem fideles?

v. 3) *Genuit nos in spem vitae per resurrectionem Iesu;* hoc est: Est enim generatio corporalis et est generatio per baptismum, et est generatio per resurrectionem seu e sepulcro. Quomodo *haec sit ad incorruptionem, et de ceteris modis p. 135.
generationis, diximus in commentario Matthaei [2]. Rursum, denuo genuit nos in spem vitae per resurrectionem *ex mortuis;* h. e. si igitur Deus denuo natus est nobis in spem vitae futurae et in aeternum permanentis. Id autem fecit Christus per resurrectionem suam e sepulcro.

[1] L. add.: Apostoli, principis apostolorum. — [2] Cf. tom. XCVIII p. 23, l. 27 sqq.

v. 6) *Paullulum enim nunc si oportet, contristemini*: h. e. similis est haec epistula illi Iacobi. Consolationem et confortationem adducit fidelibus in persecutione, ne contristarentur ob ea quae perpessi sunt a Iudaeis. *In variis tentationibus*: h. e. dicit: Tentationes diversae quae venerunt in vos, gloriam et laudem praeparant vobis in adventu Domini nostri; in modum auri quod probat ignis et eius sordes abiicit, et apparet pulcritudo pura et munda.

v. 8) *Quem cum non vidistis, diligitis*: h. e. in hoc ostendit Iudaeos qui in eum crediderunt in istis locis, cum Gentibus inter quas habitabant, [ex illis qui post persecutionem Stephani dispersi sunt] [1] non esse, sed ex eis qui prioribus temporibus captivi abducti sunt et in his locis sedem suam fixerant.

v. 9) *Completionem fidei*; h. e. utilitas fidei vestrae est quod salvabimini a peccatis.

v. 10) *Salvatio illa, propter quam*; h. e. spes et vita est salus illa, quam praedicarunt prophetae, quae per Spiritum sanctum et Emmanuelem data est. *Illi, qui propter gratiam eis collatam vaticinati sunt*: h. e. propter Spiritum sanctum, quem receperunt in baptismo, iuxta illud [2]: « Effundam Spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri »;

v. 12) *Eum qui etiam revelatus est*; h. e. oculo spiritus innotuit prophetis mysterium oeconomiae et passionis salutaris, secundum illud [3]: « Abraham cupiebat videre diem meum, et
p. 136. vidit et gavisus est ». *Et nunc revelatum est mysterium absconditum *per illa quae evangelizavimus vobis per Spiritum sanctum, qui donatus est nobis in caenaculo, quae desiderant angeli prospicere*: h. e. in sancta mysteria corporis et sanguinis, et dona divina, quae sunt vobis data in adventu Christi. Dixit enim Paulus [4]: « Per ecclesiam innotuit angelis sapientia Dei multiformis ». Quia enim rectitudo ad homines venit, ideo etiam ipsis revelatum est mysterium.

v. 13) *Succinctis lumbis mentium vestrarum*; h. e. ligamen lumborum spiritalium innuit. Cupido enim in lumbis et renibus sedem habet. Et dicit vinciri concupiscentias inhonestas per castitatem et sanctitatem. *Excitamini mente*: h. e. ab immersione in somno peccati.

[1] Haec excidisse videntur. — [2] Ioel., II, 28. — [3] Ioh., VIII, 56. — [4] *Eph.*, III, 10.

v. 14) *Nolite obtemperare concupiscentiis*; h. e. nolite esse participes desideriorum priorum: gulae, inquam, fornicationis, avaritiae.

v. 15) *Sed sicut, qui vocat vos, sanctus est, et vos sancti estote*; h. e. diligite sanctitatem, sicut sanctus est Deus. Dixit enim in Levitico [1]: « *Sancti estote, sicuti et ego sanctus sum* » [16].

v. 17) *Et si Patrem vocatis* [eum]; h. e. Deum; ille absque partium studio iudicat omnem hominem. *Ideo in timore Dei absolvite tempus huius caducae vitae*; [18] *scitote*: h. e. persuasum habeatis non divitiis saecularibus vos redemptos esse a peccatis, sed sanguine Christi, agni immaculati, qui novissimo tempore revelatus est, ut liberet vos ab errore.

v. 21) *Qui per ipsum credidistis in Deum qui suscitavit eum a mortuis*; h. e. nondum perfecti erant in fide, ideo loquitur cum eis demisse, dum dicit: Per Filium credidistis in Patrem, *et Pater suscitavit Filium suum. Ut enim edoceret p. 137. eos assumpsisse (Christum) formam servi, dixit Patrem eum suscitavisse. Dicit enim [2]: « Potestatem habeo ponendi animam et potestatem habeo rursum sumendi eam ». Attamen eo quod factus est homo, dicitur surrexisse a mortuis, et accepisse potestatem et gloriam, eo quod sit aequalis Patri per essentiam.

v. 22) *Cum purificatis animas vestras*; h. e. vult hic praecipere charitatem, ideo primum dixit: Oportet obedire veritati fidei, et sanctificare animas nostras et se mutuo diligere toto corde nostro absque studio partium, quia facti sumus fratres per regenerationem in Christo, qui est vivum verbum et splendor Patris. Et adducit argumentum ex Isaia [3]:

v. 24) « *Quoniam omnis caro sicut gramen est*; h. e. omnis homo natus e carne corruptibilis est, et gramen est seu herba, et *sicut foenum agri, quod marcescit. Verbum* vero illud, quod induimus in regeneratione, quoniam unitum est carni nostrae, *in aeternum manet.*

[Caput II].

v. 1) *Deponite iam a vobis omnem malitiam*; h. e. admonet dicens: Proiicite a vobis omnes modos malitiae, et videa-

[1] *Lev.*, xi, 44. — [2] Ioh., x, 18. — [3] Is., xl, 6.

mini sicut gentes [1] simplices, *expertes fraudis* et illegalitatis; *sicut puer* desiderans lac matris suae, *appetite lac spiritale*, hoc est doctrinam Dei, quam gustavistis, et quemadmodum dixit David [2]: « Gustate et videte bonum esse Dominum ».

v. 4) *Lapis vivus, ab hominibus reprobatus*; h. e. Christum vocat lapidem. Et cur vocatur Christus a prophetis lapis? Et dicimus: Quando creavit Dominus Adam e pulvere, per
p. 138. ignem et spiritum, quem ipsi inspiravit, fecit eum fortem *et firmum sicut lapidem, sicut vas figuli igne coctum. Cum autem hic peccavit et transgressus est mandatum, rebellavit et factus est pulvis, et recessit ab eo flatus, et pro lapide factus est pulvereus, iuxta illud [3]: « Pulvis es et in pulverem reverteris ». In novissimo tempore, cum incarnatum est Verbum e creatura, denuo fecit corpus, quod induit, forte sicut lapidem, per suam coniunctionem cum eo et per gratiam Spiritus sancti, qui formavit corpus cum Verbo; et propter hanc creationem secundam vocatus est lapis.

v. 5) *Etiam vos lapides vivi aedificati estis*; h. e. docet: Etiam vos, relicta mente molli et pulverea, per opera sanctorum renovemini in Spiritu, et estote novi pro veteribus, et pro pulvereis estote firmi in Spiritu, et lapides electi, ita ut fiatis templa spiritalia Patris per Christum, qui vocatus est ab Isaia « lapis angularis » [4], qui colligat in se Populum et Gentes.

v. 6) *Et positus est in Sion*, scilicet in ecclesia. Et qui confitentur eum, honorabuntur; illi vero qui non credunt in eum, quasi in tenebris offendent.

v. 8) *Et lapis offensionis*; h. e. saxum offensionis, seu offendiculum.

v. 9) *Vos autem genus electum*; h. e. non propter corporalem stirpem eos celebrat, sed propter fidem et opera.

v. 10) *Non putabamini populus, nunc....*; h. e. in Oseo dictum est [5].

v. 11) *Dilecti mei, rogo vos sicut hospites et sicut incolas*; h. e. sicut colonos et sicut incolas in mundo, et propterea rogo vos, ut recedatis a concupiscentiis carnalibus, quae pu-
p. 139. gnant cum anima, *cum sint sibi invicem contraria, secun-

[1] Legendum: pueri (?). — [2] *Ps.* XXXIII, 9. — [3] *Gen.*, III, 19. — [4] Is., XXVIII, 16. — [5] Os., II, 24. « Non populus ».

dum illud [1]: « Caro concupiscit adversus spiritum » ; carnem autem vocat cogitationem carnalem, quae devincere conatur cogitationem virtuosam et spiritalem.

v. 12) *Qui loquuntur de vobis sicut de malefactoribus*; h. e. pagani autem cogitant de vobis mala, cum vident opera vestra bona et perseverantiam vestram in pietate; *qui glorificent Deum in die visitationis*; h. e. probationis, in tempore persecutionis. Et hoc, quia inspiciunt patientiam vestram.

v. 13) *Estote subiecti omni humanae creaturae*; h. e. docet subiectionem erga omnes. *Regibus subditi estote*, h. e. quia nomen regni [2] descendit desuper.

v. 14) *Praesidibus*; h. e. iudicibus, quia ab eo mittuntur ad castigandos nocentes et honorandos bonos.

v. 15) *Per opera vestra bona*; h. e. per obedientiam et humilitatem vestram et subiectionem vestram claudetur os paganorum.

v. 16) *Et non sicut homines, quibus fiet libertas vestra velamen malitiae*; h. e. quasi homines, qui intima voluntate possident virtutem, videamini; non in simulatione praecipue ostendite speciem subiectionis, dum interius pleni estis ira et malitia.

v. 17) *Et unumquemque honorate*; h. e. praecepit, ut tribuamus unucuique homini honorem, et diligamus fratres, aequales genere, et Deum timeamus facientes voluntatem eius; et regibus subiiciamur.

v. 18) *Et etiam servi corporales subiiciantur dominis suis*, etsi sint domini duri.

v. 19) *Haec est enim gratia* peculiaris; h. e. dicit eos qui sustinent mala iniuste, apud Deum honorari, non autem eos qui propter delicta sua castigantur.

v. 21) **Ad hoc enim vocati estis*; h. e. ut dum facitis bona, toleretis mala; et sumit in exemplum Christum, qui contumelia afficiebatur a principibus sacerdotum et non ipse rependit eis maledictionem, sed tradidit iudicium Patri suo. Ille portavit peccata nostra in corpore suo et elevavit ea in crucem, sicut dixit Iohannes [3]: « Ecce agnus Dei, qui tollit pec- p. 140.

[1] *Gal.*, v, 17. — [2] Id est: regia dignitas seu auctoritas. — [3] Ioh., i, 29.

catum mundi ». Assumpsit peccatum in cruce, ne [peccatum] castiget et perdat nos, et in iustitia sua vivificavit nos.

v. 24) *Plagis eius sanati sumus;* h. e. verberibus, quae in corpore suo suscepit, sanavit vulnera nostra abscondita.

v. 25) *Episcopus:* h. e. « portans aerumnas » explicatur e graeco in syriacum. In versione syriaca pro « episcopus » scriptum est visitator.

[Caput III].

v. 1) *Similiter et vos, mulieres;* hoc est: mandat mulieribus, ut sint subditae maritis suis; ut per humilitatem earum mariti earum duri pudore afficiantur, et veniant ad doctrinam castitatis, maxime, cum ipsae in pietate conversantur et avertuntur ab ornatu corporali, [3] *et cincinnis et ornamentis aureis et vestimentis splendidis*, sed currunt post pulcritudinem animae, id est amorem et humilitatem. [6] Et adducit mulieribus in exemplum Saram, quae « dominum meum » appellabat maritum suum; et *eius filiae* possunt nominari et appellari, si se gerant ad eius instar.

Cum non timeatis ullum tremorem; h. e. si bonum facitis, timor virorum aut cuiusvis hominis recedet a vobis.

v. 7) *Viri, similiter;* h. e. post mulieres rursum ad docendos viros se convertit, ut in digno honore habeant uxores suas, quia sunt vasa infirma: et quemadmodum est costa infirmior ceteris ossibus, sic et mulier; et sicut costa contorta est
p. 141. et non recta, sic *etiam haec est: et ideo declarat eas sicut in fide aequales esse viris sic etiam in honore. *Ne divisae sint orationes vestrae;* h. e. si itaque sint mulieres vobis coaequales in haereditate regni, non sit separatio inter vos in orationibus, sed sitis concordes in orationibus pro invicem. Illud: *Impingatis*, h. e. offensi et ab invicem separati significat.

v. 8) *Finis autem, ut sitis omnes in concordia et amore mutuo, et compatientes unus alteri et diligentes*, i. e. misericordes.

v. 9) *Sed e contrario*, h. e. ut pro eo qui vos calumniatus fuerit, oretis. *Ad hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis;* h. e. vocatio vestra haec est: orationes et benedictiones haereditate acquirere. Iam igitur benedicite persecutoribus vestris.

v. 10) *Qui enim desiderat vitam diligere*; h. e. adducit exemplum a Davide [1], quod oporteat prohibere linguam ab accusatione, et declinare a malo atque facere bonum.

v. 13-14) *Si boni zelatores sitis;* h. e. si bonum facietis, non est qui possit nocere vobis. Et si veniet in vos tribulatio, ne turbemini, quia beatitudinem reservatam eis qui persecutionem patiuntur pro iustitia, accipietis.

v. 15) *Sanctificate in cordibus vestris Dominum;* h. e. non in ore, dum cor ad extra divagatur, sed in corde confitemini Dominum. *Omni qui a vobis postulat rationem de spe, quae est in vobis;* h. e. praecipit meditari in sacris Scripturis, ut ex eis discamus facere apologiam pro fide nostra apud omnes, ne reprehendamur ab eis, aut blasphemetur nomen Dei causa nostra, si nesciamus rationem reddere veritatis quam tenemus.

v. 17) *Optimum est, si bona faciatis;* h. e. dicit *valde praestans est, ut cum facitis bona, patiamini mala; sic duplex erit merces vestra: pro operatione bonorum, et eo quod afflicti estis iniuste, et non facitis mala, quibus merito pateremini [2]. p. 142.

v. 18) *Mortificatus in carne et vivificatus in spiritu;* h. e. Christus mortuus est carne et vivus est spiritu, seu divinitate.

v. 19) *Etiam spiritibus, qui detinebantur in custodia, profectus est praedicare;* h. e. tres praedicationes complevit Christus in mundo: In sua persona praedicavit tempore suae dispensationis; per animam suam praedicavit, quando descendit in inferos, sicut hic dixit Petrus. Descendit enim anima eius, unita cum divinitate eius, ad animas eorum, qui ab Adam ad hoc tempus capti tenebantur in inferno, et praedicavit eis propitiationem; et omnes animas, quas sua praescientia novit, si, dum erant in corporibus suis, venisset praedicare illis, poenitentiam egissent, liberavit ab inferno. Pudeat igitur Chalcedonenses, qui dicunt animam non habere subsistentiam propriam neque corpus seorsum, sed unam personam communem animae et corpori esse concedunt, et fortasse dimidium personae habet anima et dimidium habet alterum! Praedicavit rursum generationibus aliis, inde ab adscensione sua usque ad finem, per

[1] *Ps.* XXXIII, 14. — [2] Hic reponenda sententia quae infra legitur, post vers. 6 cap. IV (p. 111).

verbum evangelicum. Cyrillus: « Non enim existimo ipsam divinitatem Unigeniti nude solam descendisse in infernum et praedicavisse spiritibus, qui ibi erant. Alienum est hoc a quocunque qui non delirat. Deus sublimior est quam videatur unquam! At non eum visum esse sub forma animae dicimus; sed quemadmodum cum eis, qui adhuc erant in carne, versatus est cum carne, ita et animabus, quae erant in inferno, praedicavit indutus anima, quae ipsi unita erat [1] ».

p. 143. *v. 20) *Octo animae servatae sunt*; h. e. Noë, et uxor eius, et tres filii eius et tres uxores filiorum eius.

v. 21) *Quo exemplo*; h. e. quemadmodum arca servavit eos a diluvio, sic baptismus et in aeternum servat a diluvio peccati eos, qui nascuntur ex aquis et Spiritu. *Non receptaculum immunditiei carnis*; h. e. non corpora vestra tantum abluuntur in baptismo, sed animae vestrae purgantur per confessionem in Deum. Et sicut Christus surrexit e sepulcro, etiam vos surgetis absque corruptione e pelvi baptismali.

[Caput IV].

v. 1) *Cum ergo Christus passus est pro nobis in carne*; h. e. pudeat Nestorianos et cum eis Chalcedonenses coram Petro! Hic enim dixit: Christum passum esse in carne, non separans in eo naturas et essentias, et illi dicunt: Hominem passum esse et humanam naturam crucifixam esse. Rursum: Si Christus erat homo, quid indigeret Petrus dicere Christum seu hominem passum esse in carne, cum caro esset? Sed Christum Verbum Deum appellat incarnatum, secundum [illud] [2]: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». *Quia ille, qui mortuus est in carne, vivificatus est*; h. e. qui mortificavit carnem suam per opera ascetica et occidit passiones concupiscentiae, liberavit se a peccato, neque vivet mundo et passionibus, quamdiu est in carne, sed voluntati Dei, qui docet nos per Paulum [3]: « Mortificate etiam membra vestra, quae in terra: scortationem etc. ».

v. 5) *Iudicabit vivos et mortuos*, iustos et peccatores.

[1] Cfr. *Patr. Gr.*, LXXIV, 1015. — [2] Ioh., i, 14. — [3] *Col.*, iii, 5.

Rursum: « vivos », qui in illo tempore supererunt, et « mortuos », qui resurgent.

v. 6) *Propterea annuntiatum est etiam mortuis quod iudicentur in carne;* h. e. hoc quidem et mortuis annuntiatum est quod iudicabuntur in carne tamquam homines et vivent in Deo spiritu. Non enim *iustis, sed maxime peccatoribus, et p. 144. eis, qui mortui sunt, transgressoribus, praedicatum est Evangelium, ut seipsos iudicent: cum enim sententiam in animam suam decernunt carnemque iudicant, eam per labores poenitentiae domant et eripiunt seipsos a iudicio Dei, quia « terribile est incidere in manus Dei » [1]. *Quod iudicentur in carne tamquam homines;* h. e. sicut homo, qui misereatur sui, ipse iudicabit eum. *Vivant autem Deo spiritu;* h. e. per opera. Rursum: *Propterea annuntiatum est etiam mortuis, quod iudicentur;* h. e. quia pars eorum credidit, et pars eorum non, sicut in terra fuerunt quidam qui crediderunt in eum, cum incarnatus est, et qui non [crediderunt]; ideo dixit: Quemadmodum iudicabuntur infideles, sic et illi qui non crediderunt in inferno.

Utile est vobis et congruum, ut cum facitis bona, pateremini mala; h. e. persecutionem a paganis et iniquis; et in hoc imitamini Christum, qui *cum esset iustus et remotus a peccatis, mortuus est pro peccatoribus semel* [2].

v. 7) *Finis autem omnium appropinquavit;* h. e. eorum, quae praedicta sunt a prophetis. *Mundemini ergo et vigilate:* h. e. hortatur ad castitatem et orationem, et maxime ad illam, quae fit corde et non ore tantum; et exaltat caritatem ardentem, alacrem, extensam, non autem eam quae remissa est et externe tantum apparet; et dicit: Ubi caritas est, omnia peccata operiuntur, occultantur et exstinguuntur; et excitat ad amorem peregrinorum, qui sit a murmuratione alienus.

v. 10) *Unusquisque sicut accepit donum;* h. e. ille cui data est gratia doctrinae, ut ministret in ea fratri suo, docendo; qui est misericors, proficiat in modo misericordiae; qui habet *sermonem, verba divina loquatur, non autem contempti- p. 145. bilia et vana.

[1] *Hebr.*, x, 31. — [2] Haec hic male ponunt codices, revera pertinent ad cap. III, 17-18 (p. 109).

v. 12) *Ne miremini probationem in vos*; h. e. nolite affligi de tentationibus, quae obveniunt vobis, existimantes aliquid alienum et extraneum, quod non meriti estis, vobis accidisse, sed scitote, cum suffertis tentationes, vos imitari Christum.

v. 14) *Et si iniuriam patimini*; secundum illud [1]: « Beati estis cum ignominia vos afficient, et persequentur vos, et dicent contra vos verba mala ».

v. 15) *Attamen nemo vestrum patiatur sicut malefactor, sed sicut christianus*; h. e. « Christum indutus », qui patitur propter Christum et fidem in eo, non autem propter opera mala.

v. 17) *Tempus est, ut incipiat iudicium e domo Dei*; h. e. persecutionem sanctorum et christianorum a paganis innuit.

v. 18) *Et si iustus vix servabitur*; h. e. e libro Proverbiorum hoc est [2]. Dicit enim: « Si Lot iustus vix vixit propter suam virtutem et servatus est ab incendio, qui vivunt in impietate quomodo vivi supererunt? » Rursum, si fideles haud facile et post tentationes angustiasque in novam vitam servabuntur, impii et peccatores, qui non habent opera, nec crediderunt in veritatem, nec martyrium perpessi sunt propter eam, quomodo vivent in regno?

[Caput V].

v. 1) *Presbyteros, qui in vobis sunt, obsecro*; h. e. episcopos, sacerdotes obsecro, sicut mihi in gradu coaequales.

v. 2) *Pascite gregem*; h. e. pascite fideles Dei, non vi et violentia et quidem invitos, sed clementia et mansuetudine.
p. 146. *Et non in lucris turpibus*; h. e. non *propter collecta et parvas exactiones et eleemosynas sordidas, sed in puritate cordis et alacritate id explete.

v. 3) *Et non quasi sitis domini cleri*, h. e. gregis, quia oves et grex Dei est; ut *sitis eis imago et speculum*, ut secundum vestra opera praestantia et ipsi faciant, ut cum apparebit Christus, reddet vobis coronas iustitiae pro labore vestro et vexatione vestra propter gregem eius.

v. 5) *Etiam adolescentes, subditi estote senioribus*; h. e. admonet autem, ut etiam minores annis subditi sint senioribus,

[1] Matth., v. 11. — [2] *Prov.*, xi, 31.

et filii patribus, et habeat quivis humilitatem. Et adducit exemplum e Proverbiis [1]: « Deus instituit bellum contra elevatos et superbos ».

v. 6) *Humiliemini sub manu*, id est: Qui propter Deum humiliatur et patitur pericula, hic sub manu Domini est, sicut Iohannes, quando dixit [2]: « Non sum dignus ut corrigias solvam », elevatus est, ut accederet ad caput: sic in tempore convenienti visitabit Deus humiles et exaltabit eos ad regnum.

v. 7) *Omnem sollicitudinem vestram*; h. e. omne onus vestrum in Deum proiicite, secundum illud [3]: « Nolite solliciti esse de crastina die », quia cura Dei sollicita est de creaturis.

v. 8) *Vigilate mente*; h. e. in anima; *quia inimicus*, h. e. Calumniator, *tamquam leo os apertum habet*, ut proiiceret vos omnes in peccatum. *Quem devorare possit*; h. e. non vult mordere et postea relinquere hominem, sed devorare eum totaliter, vivum, et perdere eum de terra viventium. Et oportet ut resistatis ei fortiter et vincatis eum fide, quia contra ipsos fideles instituit bellum.

*v. 10) *Modica passos ipse vos perficiet*; h. e. pollicitus p. 147.
est nobis quod, quando paullulum passi erimus, in adiutorium nostrum veniet, et nos confirmabit et fulcietur, secundum illud [4]: « Ecce ego vobiscum sum usque in saeculum ».

v. 13) *Salutat vos Electa, quae mecum est in Babel*; h. e. secundum nonnullos « electam », seu ecclesiam, vocat uxorem suam; et Marcus, filius eius, non naturalis est filius. Et eorum nomine salutat fideles. Nos autem dicimus, eum electam et ecclesiam vocare congregationem apostolorum, eius sociorum, et Marcum separavisse, primo, quia unus e turma septuaginta discipulorum erat, et secundo, quia eius discipulus erat. Et Babel vocat apostolos, quia sicut in Babel divisa est lingua, ita in cenaculo partitus est spiritus et linguae populorum apostolis.

EXPLICIT EPISTULA PETRI PRIMA. AMEN.

[1] *Prov.*, III, 34; IAC., IV, 6. — [2] IOH., I, 27. — [3] MATTH., VI, 34. (LUC., XII, 22). — [4] MATTH., XXVIII, 20.

Rursum scribimus explicationem Dionysii peregrini in epistulam secundam Petri apostoli.

Epistula altera Petri non interpretata est in syriacam linguam cum libris qui sunt translati in diebus antiquis, et ideo non invenitur nisi in versione Thomae Ḥarklensis, episcopi, qui cognomen habuit e nomine suae civitatis Ḥarḳel (Heracleae). Ipsius *Petri* epistulam esse testantur etiam doctores.

[Caput I].

v. 1) *Simon Petrus;* h. e. nominat se sua prima appellatione, et deinde ea qua eum nominavit Christus. *Eis, qui in condignam fidem nobiscum pervenerunt;* h. e. nobiscum dispositi sunt in fidem Christi. *Pervenerunt*, quasi per sortem dixit illud.

v. 4) *Promissa pretiosa et magna nobis concessa sunt;*
p. 148. h. e. Spiritus *sanctus, baptismus, et sacramenta divina, per quae unionem habemus cum Deo, quando fugimus a desideriis carnalibus.

v. 5) *Addite fidei vestrae virtutem;* h. e. cum fide etiam opera acquirantur, secundum illud [1]: « Fides sine operibus mortua est ». Virtus [2] autem nomen est genericum omnium operum et actionum, et ideo post fidem eam subiungit. Et nota quod octo appellationes ordinavit, et posuit unam post alteram, sicut gradus scalae: *Fidem, virtutem,*

v. 6) *scientiam*, h. e. scientiam unius Dei, et ut cognoscamus bona et recedamus a malis; *constantiam*, h. e. ut simus constantes in confessione fidei, quam accepimus; *tolerantiam*, h. e. ut toleremus periculum in doloribus, qui nobis obveniunt ab infidelibus; *pietatem*, h. e. rectam confessionem, quae remota est a laqueis haereticis;

v. 7) *philanthropiam*, h. e. misericordiam; *charitatem*, h. e. erga quemvis hominem. Haec octo opera praestantia disposuit, ut eis devincat homo octo passiones, reprehensione dignas;

[1] Iac., ii, 26. — [2] Lege in sing. ܡܝܬܪܘܬܐ.

h. e. gulam, seu intemperantiam, et impudicitiam, et avaritiam, tristitiam, iram, odium, vanam gloriam, superbiam.

v. 9) *Caecus est, nil videns*; h. e. ille, in quo non inveniuntur fides, et virtus, et cetera, quae recitat, caecus est in scientia sua, et dominatur in eum error, ita ut non possit liberari a prioribus suis peccatis.

v. 13) *Iustum est, quamdiu sum in hoc tabernaculo*; h. e. in hoc corpore. Iustum est, dicit, ut quamdiu sit unita anima mea cum corpore meo, praeciperem vobis opera praestantia, quia proximus sum, ut solvar a tabernaculo *seu corpore meo, p. 119.
sicut indicavit mihi Dominus meus in visione seu revelatione.

v. 17) *Cum enim accepit a Deo*; h. e. initium erat praedicationis, et ideo verbis humilibus utebantur apostoli de Christo, secundum illud [1]: « Infantium instar lac potum praebui vobis ». Et ideo dixit: « accepit ». Et praeterea, quia incarnatus est, dicitur « accepisse », non quatenus est Deus, sed quatenus homo factus est. Et narrat coram eis visionem, factam in monte Thabor, quando duxit Dominus noster tres discipulos et adscendit.

v. 19) *Etiam verbum propheticum*; h. e. docet prophetas esse veraces, et iustum esse ut accipiamus verba eorum, ut sicut lucerna illuminent mundum. *Donec dies illucescit*; h. e. Christus. Et stellam « luciferum » nominat scientiam Christi, quam optat oriri in cordibus fidelium.

[Caput II].

v. 1) Et manifestat eis falsos doctores, qui oriuntur ex eis, sicut olim pseudoprophetae erant.

v. 4) *Si enim Deus angelis, cum peccaverunt, non pepercit*; h. e. hic docet de casu daemonum, quod propter superbiam deiecit eos. *Sed catenis caliginis*; h. e. implicationibus et vinculis. *In tartarum*; h. e. in inferiora terrae proiecit eos; inferiora significant humiliationem eorum et ruinam eorum; docet rursus per illud remotionem eorum a luce divina.

v. 5) *Sed Noe octavum praedicatorem iustitiae servavit*; h. e. non numerat autem ab Adam Noe, sed dicit octo homi-

[1] I *Cor.*, III, 2.

num esse praedicationem pietatis: Noe ipsius et uxoris eius et
p. 150. trium filiorum eius et trium uxorum eorum. *Cyrillus enim in libro Glaphyrorum, hoc est sermonum iucundorum [1], putat Noe esse undecimum ab Adam, quia undecima hora venit Dominus noster ad nos. Secundum parabolam de vinea [2], hora undecima, hoc est in fine temporum, venit Dominus noster ad nos. Adam, Abel, Šeth, Enoš, Cainan, Mahaleel, Iared, Ḥenokh, Methušalaḥ, Lamech, Noe. Sciebat autem Cyrillus, in successione generationum et in evangelio, Noe decimum esse ab Adam, sed propter mysterium numeri undecim, dixit undecim fuisse patriarchas. Introduxit Abel propter suum finem.

v. 6) *In pulverem redigens*; h. e. fecit pulverem, hoc est cinerem urbes Sodōm.

v. 10) *Praesertim vero eos, qui post carnem*; h. e. adduxit in exemplum doctorum falsorum et avidorum et intemperantium, et currentium post cupiditates et delicias carnis, homines ante diluvium, coaevos Noe, et Sodomitas, quia propter lasciviam et luxuriam immersi sunt illi, et hi combusti. *Et dominationem contemnunt:* h. e. non confitentur unam dominationem, sed, sicut asseclae Valentini et Marcionis, bonam et malam. Et de his in epistulam Iudae scribemus [3]. *Coram gloriis non tremunt*; h. e. coram Foedere antiquo et novo. Hoc etiam discat lector e loco, ubi dicitur in dicta epistula [4]: « Etiam in vobis erunt falsi doctores, illi, qui introducent haeresim interitus », et usque ad finem similis est epistulae Iudae: in hac aut in illa additiones quaedam sunt, sed vis utriusque una est.

v. 15) *Errarunt et adhaeserunt viae Bileami illius Beor:* scilicet Bileami, filii Beor, qui in Ḳasur [5]; h. e. sicut cucurrit Bileam propter avaritiam suam, ut hariolaretur et vatici-
p. 151. naretur Balac, *et facta est ei in via vituperatrix asina eius, ratione destituta: ita doctores falsi, supra memorati. Et dicit [17]: *Sunt fontes* [6] *absque aquis*: h. e. nomine doctores, qui expertes sunt doctrinae et pietatis, et, quod gravius est, docent incitationes cupiditatum carnalium.

[1] *Patr. Gr.*, LXIX, col. 51, dicit Cyrillus: « Noe decimus fuit ab Adam per Seth in generis serie »; sed col. 59: « Atqui Noe undecimus fuit ». — [2] MATTH., XX. — [3] v. 8 (p. 129). — [4] Cf. vers. 18. — [5] *Num.*, XXII, 5 habet syr. versio ܩܣܘܪܐ *hariolus*. — [6] Lege in plur. num.

v. 20) *Si enim cum fugissent inquinationem mundi;* h. e. abstinuerunt quidem se a concupiscentiis et luxuria, et facti sunt discipuli Christi; sed postea conversi sunt ad vomitum primum, facta sunt posteriora eorum peiora prioribus, sicut dictum est in Proverbio [1]: « Canis, qui redit ad vomitum suum, et sus, quae se lavat in volutatione luti ».

[Caput III].

v. 4) *Ubi est promissio adventus eius?* h. e. dicit: Erunt in mundo viri irrisores qui dicent: Non erit finis; et nec erit adventus Domini; et sic perseverabit creatio. Et dicit: Ecce, etiam in diebus diluvii caelum, sicut erat, mansit, et per aquas periit omnis caro.

v. 8) *Et unus dies Domino est sicut mille anni.* Docet: Ne abripiamini post narrationes malorum hominum; quia universa creatura renovabitur, et unus dies in futuro mundo erit sicut mille anni in hoc mundo. Et non retardabitur adventus Domini, sicut stulti autumant. Et gaudium unum quasi spatio unius diei superabit gaudia [2] mille annorum huius mundi.

v. 9) *Sed longanimis;* h. e. quod [non] citius veniat, ratio est, quia intendit et exspectat poenitentiam omnis carnis humanae.

v. 10) *Veniet dies Domini sicut fur nocte;* h. e. illud « fur in nocte », est per modum exempli: Quemadmodum fur quo tempore omnes homines dormiunt, venit ad furandum, sic *adventus Domini repentinus erit; et dum unusquisque im- p. 152.
mersus cupiditatibus erit, orietur; nam ignorant finem, et in nocte orietur Christus, sicut dixit Lucas [3]: « In illa nocte ... ». *In quo caeli subito transibunt, elementa vero igne incensa dissolventur.* In codice syriaco, in epistula Iudae dicunt nonnulli scripta esse haec: « Iuda quidem dixit: Descendet iudex in terram et separabit bonos a malis, et assumet bonos in regnum, et mali relinquentur, et tempore, quo elevabitur e terra, praecipiet igni, qui incendet elementa tria [4], et comburet ea ut ligna, et etiamsi qualitates eorum, hoc est virtutem eorum destruet ignis et subvertet suo effectu, tamen

[1] *Prov.*, XXVI, 11. — [2] Comp. *Ps.* LXXXIX, 4. — [3] Luc., XVII, 34. — [4] Terram, aquam et aerem.

materiam eorum non destruet. Et etiam sol et luna igne dissolventur et erunt in eo, sed non evanescent ». Et haec dixerunt nonnulli interpretes, quasi e libro Iudae testimonium recitantes ; at in eo non invenimus haec, sed tantum in fine huius epistulae secundae Petri. *Et terra, et opera quae in ea sunt, valde exurentur;* h. e. ornamenta et aedificia et plantae, quae in ea sunt, omnia haec exurentur et resolventur in elementa, quibus constituta erant. Alii dicunt non fore ut elementa igne dissolvantur, sed quae ex elementis sunt constituta, in ea resolvenda, et ipsa elementa conterenda suisque fructibus privanda, verbi gratia terram privandam esse germinibus et animalibus, aquas piscibus et reptilibus.

v. 12) *Exspectantes vos diem adventus Dei, in quo cum caeli igne probati solventur, et elementa incensa solventur;* h. e. doctores non concedunt fore ut elementa pereant, sed stellas solum casuras et in sua elementa resolvendas esse. Elementa igitur stellis et eis quae condita sunt supra creatio-
p. 153. nem* sensibilem assignat. Solem et lunam non transitura aliqui dicunt, sed alii dicunt solem et lunam dissolvenda, quia corpus Christi illuminabit omnia. Ignis, aquae, terra, aer renovabuntur, caeli autem superiores angelorum permanent in aeternum.

Methodius, episcopus Patarorum, dicit: « Caeli et terra et aer transibunt, quando igne renovabuntur ». Et forsitan dicet quis: Quomodo dictum est elementa ita igne comburenda esse, et Christus dixit [1]: « Caelum et terra transibunt », et doctores dicunt: Non transibunt? Et dicimus: Mos est Scripturae vocandi perditionem quae hic agentur, siquidem in melius et mutatione congruenti mutabuntur; sicut dicimus: Transit figura mundi, et non ipse mundus, et sicut nominat quidam perditionem statum puerorum, quando mutantur et fiunt viri, ergo interitum et incendium renovationem vocant. Alii dicunt: Caelum et terra solventur et elementa non miscebuntur inter se, sed renovabuntur renovatione ineffabili.

v. 13) *Caelum enim novum et terram novam exspectamus secundum promissum eius;* h. e. in Isaia [2] pollicitus est hoc. Renovabit ergo caelum et terram, quod laetificabit caelum resurrectione nostra, et renovabit terram, quod liberabit

[1] Matth., xxiv, 35. — [2] Is., lxv, 17; lxvi, 22.

eam a scelere et contumelìa; maledixit enim ei propter peccatores, in iustis autem benedicet ei. Rursum: Caelos novos; h. e. fidem in Christum. Et terram novam; h. e. cor bonum hominis, quod accipiet doctrinam religionis. Rursum: Caelos novos; solem et stellas, quae adveniente Domino nostro in eo renovata sunt, et notum erit ea esse creaturas, nec adorabuntur a paganis. Et terram novam, quae liberabitur a sacrificiis daemonis. Rursum: Caelos novos; hoc est: foedus evangelicum. Terram novam: foedus *legis, quod terram et delicias corpo- p. 154
rales promittebat. *In quibus iustitia habitat;* h. e. in corde bono, seu terra nova, et in fide in Christum, quem vocat caelos, omnis iustitia, seu virtus habitat.

EXPLICIT SECUNDA PETRI APOSTOLI.

p. 155. *Rursum, scribimus explicationem epistulae catholicae, hoc est universalis, Iohannis, filii tonitrus, quam fecit Dionysius peregrinus.

[Caput I].

v. 1) *Ille qui erat a principio*: h. e. a Patre quidem est Filius. Syrus: « Annuntiamus vobis illum, qui erat a principio »; h. e. verbum universale proposuit fidelibus, cum praedicaret de Christo. *Quem audivimus*: h. e. a prophetis, qui de eo vaticinati sunt, et a Patre, qui testimonium dedit de eo in Iordane et in monte Thabor. *Quem vidimus*; h. e. cum in sua essentia invisibilis esset, manifestatus est in carne et apparuit nobis. *Et manus nostrae palpaverunt*; h. e. eum, qui est in principio, dixit manifeste apparuisse. Concessit etiam ut a Thoma palparetur, quando is eum vocavit: « Dominus meus et Deus meus! »[1] Exploravit digito suo latus corporis et fissuram clavorum. Confundantur inde phantastici et phantasiastae, qui dicunt eum in apparentia tulisse corpus phantasticum et simulacrum impalpabile. Et cum his pudore afficiantur Nestoriani et Chalcedonenses, qui dividunt Christum in duas naturas. Iohannes enim sicut de uno loquitur de eo. *Erat a principio* et in novissimis temporibus, cum factum esset homo, palpatum est: *Verbum vitae*; h. e. unigenitum Filium vocat Verbum vitae.

v. 2) *Et vita revelata est*; h. e. quia ille unicus (filius), qui est vita sine initio et sine fine, erat apud Patrem suum, cum creaturae eum videre « sicuti est » non valerent, sua benignitate voluit se nobis manifestare in carne nostra.

v. 3) *Communionem habeatis nobiscum*; h. e. participate
p. 156. *nobiscum, nempe credentes in Filium sicut in Patrem, quemadmodum credidimus in eos.

v. 5) *Quia Deus lux est*; h. e. secundum illud[2]: « Ego sum lux mundi ». *Et tenebrae in eo non sunt ullae*; h. e. tenebrae variis rationibus dicuntur, prout etiam lux similiter. Et de his locuti sumus in explicatione Matthaei. Hic vocat tene-

[1] Ioh., xx, 28. — [2] Ioh., viii, 12.

bras peccatum, secundum illud [1]: « Qui facit peccatum in tenebris ambulat ».

v. 7) *Si autem in luce ambulamus*; h. e. praecepta et leges vocat « lucem », secundum illud [2]: « Verbum tuum lucerna est pedibus meis et lux est semitis meis ». Et dixit, si in legibus eius ambulamus, descendet ad nos et communicabit nobiscum, secundum illud [3]: « Ego et Pater meus veniemus et apud eum mansionem faciemus ». *Et sanguis Iesu, Filii*; h. e. sicut mundabat sanguine animalium sacerdos eos, qui erant immundi corpore, ita purificat sanguis Christi animam et corpus a peccatis.

v. 8) *Si autem dixerimus nos peccatum non habere*; h. e. secundum illud [4]: « Quis dicet: Munda cor meum et liberabor a peccatis ».

v. 9) *Si vero confiteamur peccata nostra*; h. e. quid dicemus ad eos qui reiiciunt confessionem? Ecce enim Iohannes evangelista docet ut confiteamur peccata; et cum erat purus in moribus suis sicut sol, se adnumerat peccatoribus, et docet confessionem remittere peccata: et hodie miseri et inquinati turpitudinibus fugiunt ab ea, quasi non vellent ut remittantur delicta eorum.

v. 10) *Et verbum ipsius in nobis non est*; h. e. illud verbum, quod dixit [5]: « Non veni vocare iustos, sed peccatores ad paenitentiam ».

[Caput II].

v. 1) *Advocatum habemus apud Patrem, Iesum*: h. e. **pa-* p. 157.
racletus propitiator explicatur. Et quemadmodum appellatur Spiritus « paracletus », ita et Filius.

v. 2) *Et est reconciliatio pro*; h. e. obtulit se ipsum Patri suo oblationem, ut det nobis peccatoribus piaculum transgressionis nostrae.

v. 3) *Et in hoc scimus quod cognovimus eum, si mandata eius observamus*; h. e. scientia hic amorem indicat; quia qui amat aliquem custodit mandata eius, secundum illud [6]: « Si diligitis me, mandata mea servate ».

[1] Cf. *Eccl.*, II, 14. — [2] *Ps.* CXVIII, 105. — [3] IOH., XIV, 23. — [4] *Prov.*, XX, 9. — [5] MATTH., IX, 13; MARC., II, 17. — [6] IOH., XIV, 15.

v. 5) *Qui custodit sermonem eius;* h. e. eius praecepta.

v. 6) *Ut sicut ille ambulet;* h. e. ambulationem vocat hic operationem. Sicut egit Christus, qui amavit crucifixores, et non surrexit contra Iudaeos, ita et nos faciamus et humiliter in mundo ambulemus.

v. 7) *Non praeceptum novum scribo vobis;* h. e. ut diligatis alter alterum, *sed praeceptum vetus;* h. e. Mosis, secundum illud [1]: « Dilige Dominum Deum et proximum tuum sicut teipsum ».

v. 8) Rursum, *praeceptum novum scribo vobis;* h. e. nunc. *Quia tenebrae transierunt;* h. e. tempora aberrationis et mutuae ultionis. *Et lux vera*, h. e. evangelii, pervenit, quod docet nos [2]: « Si quis percutiet te in maxillam tuam, praebe ei etiam alteram ».

v. 9) *Ille qui dicit se esse in luce*, h. e. Christi.

v. 11) *In tenebris est;* h. e. in deceptione Calumniatoris. *Et in tenebris ambulat;* h. e. in operibus peccati. *Quia tenebrae occaecaverunt;* h. e. diabolus occaecavit oculum mentis eius, ne ambularet in semitis iustitiae.

v. 12) *Scribo vobis, filioli, quod remissa sunt;* h. e. filios vocat eos, qui doctrinis isagogicis, primis novisque indigent, sicut puer lacte.

p. 158. *v. 13) *Scribo vobis, patres:* h. e. patres eos vocat, qui medio modo habent disciplinam et doctrinam paternam: gradus medius.

v. 14) *Scribo vobis, adolescentes;* h. e. fortes, et hos qui vicerunt omnes passiones, vocat adolescentes, quia portarunt signum victoriae contra diabolum.

v. 15) *Nolite diligere mundum;* h. e. per mundum innuit res materiales et transeuntes. Nolite solliciti esse de corpore et corporalibus, quemadmodum dixit Basilius: « Noli curare de carne peritura, curate de anima ». *Et non haec quae sunt in mundo;* h. e. divitias, cupiditates et ceteras passiones.

v. 16) *Quia, quidquid est in mundo;* h. e. in mundo sensibili et apud mundanos et amatores mundi invenitur. *Concupiscentia carnis;* h. e. innuit gulam. *Et concupiscentia oculorum;* h. e. innuit hoc avaritiam. *Et superbia mundi;* h. e.

[1] *Deut.*, VI, 5; *Lev.*, XIX, 18. — [2] MATTH., V, 39.

docet de vana gloria. Hasce tres passiones genericas hic indicat, quia sub eis ceterae includuntur.

v. 17) *Et mundus praeterit et concupiscentia eius*; h. e. non quod ipsa mundi substantia peritura sit, innuit, sed forma eius seu eius rationes revolutionesque, et oblectamenta, quae in eo sunt. *Manet in aeternum*; h. e. qui custodit praecepta, manebit in aeternum in regno eius.

v. 18) *Pueri*; h. e. non propter scientiam vocat eos pueros, sed propter aetatem et etiam gradum, quia ipse est pater spiritalis et illi filii spiritales eius. *Et sicut audistis venturum Antichristum*; h. e. didicistis ex evangelio [1]: « Surgent pseudochristi ». Et nunc fuerunt antichristi, id est falsi christi: indicat Simonem et Cerinthum et operarios fallaces et canes, quos commemorat Paulus [2].

*v. 19) *E nobis egressi sunt*; h. e. postquam facti sunt di- p. 159.
scipuli, et declinaverunt ad impietatem; et ideo dixit: *e nobis egressi sunt. Sed non sunt e nobis*; h. e. non docent sicut nos, sed sicut Satanas, ad quem declinaverunt.

v. 20) *Etiam vos habetis unctionem* ab antiquo; h. e. donum Spiritus sancti, quod acceperant per baptismum, quia per hoc donum distinguebantur illo tempore doctores veri a falsis.

v. 22) *Qui negat Patrem, et Filium*; h. e. qui non dicit Christum esse Filium Patris, infidelis est, quia negat primo Patrem, et simul Filium; quia si non sit Filius, nec Pater: e categoria relationis patet.

v. 23) *Omnis qui negat Filium, nec Patrem* [habet]; h. e. uterque enim per utrumque, et unusquisque eorum in altero a nobis et a sanctis angelis cognoscitur. Nescit enim quis, quid sit Pater nisi Filium, qui est hypostatice genitus, mente sua concipiat: neque scit quid sit Filius, nisi intellexerit sapienter Patrem genuisse.

v. 24) *Quod audistis a principio*; h. e. ad suam evangelii praedicationem alludit.

v. 27) *Unctio illa quam accepistis ab eo, in vobis maneat*; h. e. in quo remanet apud nos gratia Spiritus? Dicimus: Cum seminamus et colimus opera cum dono quod accepimus.

v. 28) *Manete in eo*; h. e. per opera. *Ut cum revelatus fuerit*; h. e. in altero adventu, cum fiducia obviam ei procedamus.

[1] MATTH., XXIV, 24. — [2] *Phil.*, III, 2.

[Caput III].

v. 1) *Mundus non novit nos;* h. e. mali homines, secun-
p. 160. dum illud [1]: « *Propterea odit vos mundus », seu mali homines.

v. 2) *Similes ei erimus;* h. e. per opera eum imitabimur, quantum possibile est creaturae imitari creatorem. *Et quia eum videbimus, sicut est;* h. e. non in sua divinitate eum esse visibilem dicit, sed in corpore, quod induit; quemadmodum apparuit eis in saeculo, et etiam quando adscendit in caelum.

v. 7) *Sicut et ipse iustus est;* h. e. Christus.

v. 8) *Ad hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera eius:* h. e. opera peccati, mala semina quae seminavit in hominibus diabolus.

v. 9) *Omnis qui natus est e Deo;* h. e. per baptismum. *Semen eius in illo manet;* h. e. donum quod accepit. Rursum, *omnis qui natus est e Deo;* h. e. non quod sit homo impassibilis natura sua, sed quod custodit seipsum, quod dictum est a Paulo [2]: « Qui se existimat stantem, videat, ne cadat ». Re quidem vera, eum qui custodit seipsum, ea quae Spiritui sancto placent faciens, post baptismum sanctum peccare non posse dicit.

v. 11) *Mandatum quod audistis ab antiquo;* h. e. in Veteri Testamento, et etiam in Evangelio.

v. 12) *Ut Cain e malo erat;* h. e. non a malo fuisse dicit, sed cum declinaverit ad malitiam, eum quasi a (malo) esse dicit.

v. 14) *Translati sumus de morte ad vitam;* h. e. per baptismum et per opera eximus e mortalitate peccati ad vitam evangelicam. *Manet in morte,* h. e. peccati.

v. 15) *Homicida est:* sicut occidit Cain fratrem suum, sic et omnis qui odit socium suum, occisor est quasi voluntate.

v. 17) *Qui habet possessionem mundi;* h. e. qui possidet
p. 161. *divitias, et claudit manum suam coram fratre suo paupere, expers est amoris Dei, qui nobis aequaliter tribuit bona et dona sua. Rursum: Qui possidet scientiam, et non ditat ea simplices, doctrina indigentes, quomodo amat Deum, qui dedit ei scientiam? Ut proiiciat argentum, hoc est doctrinam, ad mensam, hoc est in aure audientium, tribuit ei disciplinam.

[1] Ioh., xv, 18. — [2] I *Cor.*, x, 12.

v. 18) *Ne diligamus verbis, neque lingua*; h. e. externe et coram alienis, dum sumus interne pleni odio, sed in veritate, e toto corde diligamus invicem.

v. 19) *Et ante eum suadebimus corda nostra*; hoc est: Et antequam surgamus coram eo in iudicium, iustificemur; nam si coram conscientia nostra nobis videmur reprehensibiles, quanto magis coram Deo, qui omnia scit!

v. 21) *Si cor nostrum non reprehenderit nos*; h. e. si non accusat nos cogitatio nostra, nec reprehendit nec arguit nos quod habeamus opera mala, *fiduciam habeamus ad Deum*.

v. 22) *Et quidquid petierimus* e divinis, *non denegabit nobis*.

v. 24) *Et in hoc scimus quod manet in nobis, et de Spiritu quem dedit nobis*; h. e. quemadmodum per actionem suam, hic [1] manifestatur in nobis operatione prodigiorum, ita et Filius, quem induimus in baptismate, manet et habitat.

[Caput IV].

v. 1) *Non omni spiritui credatis*; h. e. quia nomen spiritus nomen est commune, multis modis accipitur. Dicit et Satanam spiritum appellari, et docere multos mendacium.

v. 2) *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum venisse in carne in mundum*; h. e. per illud « in carne » confutat eos, qui dicunt eum in apparentia venisse et transiisse per virginem sicut aquam per canalem. Rursum: *Omnis spiritus*; h. e. si enim *non factus est homo nec adscendit in p. 162.
carne ad Patrem, nec redibit e caelis homo sicut nos; h. e. in carne.

v. 4) *Quia maior est, qui in vobis est*; h. e. Spiritus sanctus maior est spiritu Calumniatore qui habitat in pseudoprophetis.

v. 7) *Dilecti mei, diligamus nos invicem*; h. e. denuo incipit loqui de caritate, quia est vinculum virtutum, et Deus caritas appellatur. *E Deo natus est*; h. e. per opera, et eo quod diligit proximum suum.

v. 11) *Si ita dilexit nos Deus*; h. e. eo quod misit Filium suum in mundum propter nos, ut remitteret peccatum nostrum.

[1] Lege: ܗܘܐ.

v. 12) *Deum nemo vidit unquam;* h. e. in eius essentia naturali ne angeli quidem possunt eum videre.

v. 13) *Deus in nobis manet;* h. e. Deus habitat in nobis, quando diligimus nos invicem et eius amor perfectus apparet in nobis.

v. 18) *Timor non est in caritate;* h. e. in caritate, quae ad Deum. *Sed caritas perfecta eiicit foras;* h. e. qui perfecte diligit Deum, contemnit timorem iudiciorum et cruciatus vexationesque mundi.

v. 20) *Et fratrem suum odit;* h. e. syllogismo, seu conversione rationum utitur. Si fratrem tuum, qui adspicitur et cotidie tecum versatur, odio habes, Deum, qui non adspicitur et te sublimior est, quomodo diliges? Si vero fratrem tuum diliges, elevabitur amor tuus ad Deum, qui creavit et plasmavit fratrem tuum sicut et te; et si creaturam eius odio habes, etiam eum odio habes.

[Caput V].

v. 1) *Omnis qui diligit, a Deo natus est;* h. e. per opera dicitur homo renovari et nasci a Deo, sicut per baptismum. *Et omnis qui diligit illum qui genitus est;* h. e. in versione p. 163. syriaca « genitorem », hoc est Deum, qui genuit nos *spiritaliter. *Diligit etiam eum, qui genitus est ex eo;* h. e. hominem, socium suum, qui etiam e Deo natus est, sicut ipse per baptismum et per opera.

v. 4) *Et omnis, qui natus est e Deo;* h. e. per aquam et Spiritum. *Vincit mundum;* h. e. diabolum vincit per fidem, quia credidit in Christum.

v. 6) *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem et spiritum;* h. e. aqua significat corpus, quod assumpsit; et sanguis significat animam, et spiritus significat divinitatem.

v. 8) *Et haec tria unus sunt;* h. e. collectione seu unione. Et unus Deus incarnatus perficitur ex his. Cyrilli: « Spiritus et aqua et sanguis, et haec tria unius sunt; h. e. factum est corpus Verbum Deus, sanctificatum enim in spiritu, et purificatum in sanguine suo et purgatum in aquis mundis. Unus enim est omni ratione Filius, cuius esse dicimus Spiritum et sanguinem et aquam ». Rursum, spiritus significat spiritum quem inflatus

est in Adam et in discipulos; et sanguis significat corpus; et aqua significat baptismum. Rursum, aqua et sanguis significant calicem qui miscetur ex aqua et vino, et significant sanguinem et aquam, quae fluxerunt e latere eius in cruce, et spiritus significat animam. Rursum, sanguis significat sanguinem martyrum, et aqua significat plantationem nostram primam in aquis [1], significat mortalitatem; significat aquas quibus baptizatus est, et spiritus significat hunc qui descendit in illum in Iordane.

Non in aqua solum [6]; h. e. non in corpore, sed in corpore et anima venit in mundum Verbum Deus. *Et Spiritus est qui testimonium dedit* in Iordane, quando descendit in eum sicut columba. *Et tria sunt unus;* h. e. Christus, qui est ex anima et corpore et divinitate.

v. 9) *Et si testimonium hominum accipimus;* h. e. Iohannis, qui testimonium dedit de Christo. *Testimonium Dei maius est;* h. e. quod dixit [2]: « Hic est Filius meus dilectus ».

*v. 16) *Si quis viderit fratrem suum facientem peccatum* p. 164.
quod non est ad mortem; h. e. peccatum quidem a morte remotum illud est, a quo fugit homo, quod non iterum committit, cuius causa eum paenitet et pro eo poenitentiam offert. *Peccatum vero mortale est;* h. e. quod constanter patratur, sicut adulterium, avaritia, superbia, et cetera; cum enim non desistit homo a committendo uno ex his peccatis, mortis (esse) dicitur, quia vivens mortuus est, et qui pro huiusmodi rogat veniam, damnandus est. Postquam enim poenitentia a peccatore non fuit oblata, quomodo postularetur pro eo condonatio?

v. 19) *E Deo nos sumus;* h. e. eo quod custodimus mandata eius. *Et mundus totus in malo positus est;* h. e. inclinatus est voluntarie ad malitiam. Hominem indicat, qui libere mala committit; hunc igitur mundum vocat.

v. 20) *A cultu idolorum custodite vos*, a passionibus pravis, quas vocat « idololatriam ».

Explicit prima.

[1] Hic fortasse quaedam exciderunt. — [2] Matth., iii, 17.

Rursum, epistula secunda Iohannis evangelistae, filii tonitrus.

v. 1) *Presbyter;* h. e. seipsum innuit Iohannes, et seniorem se vocat propter praestantiam huius dominae, cui epistulam scribit. *Qui cognoverunt veritatem;* h. e. veritatem Christum vocat, qui apud eos qui cum eo serviunt manet.

v. 4) *Quia inveni e filiis tuis, qui ambulant in veritate;* h. e. in fide vera et in timore Dei.

Post haec adhortatur eam in epistula ad charitatem et elongat eam a Simonianis, qui dicebant Dominum nostrum apparuisse in phantasia, et non in veritate revelatum esse in carne.

p. 165. v. 11) *Et « ave » *ne dixeritis ei:* h. e. pax tibi! Admonet per hoc ne pacem quidem dent deceptoribus.

Explicit.

Rursum, explicatio epistulae tertiae Iohannis, filii tonitrus.

v. 1) *Dilectum* vocat apostolus hunc Caium, propter eius virtutem, et quia suscipiebat peregrinos, et quia servabat fidem diligenter.

v. 9) *Diopatres non recipit eum;* h. e. accusat hunc Diopatrem, qui erat caput ecclesiae, quia surrexit adversus eum et non volebat sublevare peregrinos, et eos, qui volebant recipere peregrinos, impediebat suo exemplo.

v. 11) *Noli imitari malum;* h. e. admonet Caium, ne imitaretur Diopatrem: *sed bonum;* h. e. Christum, qui dixit [1]: « Hospes fui et recepistis me ».

Explicit epistula tertia Iohannis, filii tonitrus.

[1] Matth., xxv, 35.

*RURSUM, EXPLICATIO EPISTULAE SEPTIMAE, QUAE EST IUDAE. p. 166.

Hic Iudas filius Iosephi est, et frater Iacobi, episcopi Hierosolymitani. — Argumentum huius epistulae ex sancto Severo: « Extendit Iudas sermonem in hac epistula ad quosdam, qui docent delicias corporis et phantasmata socordia dicuntque ea esse pietatem; et dicunt rursum duo esse principia, bonum et malum, sicut docuerunt Valentus, et Manes et Marcion ».

v. 3) *Omnem curam impendo scribere vobis;* h. e. studium habeo, ut edoceam vos de viris lascivis.

v. 4) *Obtinuerunt ingressum;* h. e. invaserunt ecclesiam viri scelesti et lascivi. *Sicut Sodomam et Gomorrham,* hoc est, sicut Sodomitae propter lasciviam exarserunt, simili modo isti nunc se oblectant cupiditatibus et reservantur ad tormentum.

v. 8) *Etiam hi, qui in somniis hallucinantur,* h. e. somniant, scilicet, isti saeculo student, et in phantasmate fugaci sicut in somno demerguntur. *Carnem quidem maculant;* h. e. mentem et carnem inquinant. Et somnia quae viderant, praedicabant; et eos qui habent mores lascivos huiusmodi designat Paulus, dum noctem et somnum profundum vocat conscientias eorum; dixit enim [1]: « Nox praeteriit », postea « deponamus opera tenebrarum, non in cantilenis et ebrietatibus, non in cubilibus et lascivia »; et de huiusmodi hominibus dixit Iuda: Ita somniant et carnem maculant, et voluptates. *Maiestatem autem spernunt;* h. e. non confitentur sicut nos unam dominationem, sed dicunt Deum Antiqui [Testamenti] malum esse et gaudere in sanguine, illum autem Novi, qui locutus est *in Evangelio, p. 167.
alium esse, et hunc esse bonum. Et ambos esse increatos dicunt; et « unus est causa bonorum, et alter causa malorum ». Ex hac doctrina hauserunt Mane, et Bardaisan et alii. *Dignitates autem blasphemant;* h. e. dignitates vocat doctrinas religionis. Rursum, vocat « dignitates » utrumque foedus, quia in dignitate et honore dicta et scripta sunt; id docet Paulus in epistula ad Corinthios [2]: Opera enim [foederis] umbratilis et typici, quod per Mosem ingressum est cum gloria, offuscantur in ministerio

[1] *Rom.*, XIII, 12-13. — [2] Cf. II *Cor.*, III.

spiritali gloria operum, quae evangelium suadet. Etiam in iis quae sequuntur, rursum vocat apostolus Foedera « dignitates », *in quas blasphemarunt impii*: h. e. eo quod Antiquum vituperaverunt et Novum magna ex parte corruperunt: nam ei aliquando addiderunt et aliquando resciderunt ab eo, et propterea accusat eos Iuda tamquam non timentes prae magnitudine blasphemiae. Et pergit postea dicitque:

v. 9) *Michael autem archangelus cum diabolo disputabat*: h. e. Severus patriarcha illud sic explicat: Omnia quae corporaliter purgabat lex, mysterium purgationis animae figurabant, uti purgatio leprae corporalis: purgationem animae a peccato. Similiter cum voluit Deus ostendere Israelitis bellum quod imminet animae post eius solutionem a corpore, disposuit ut afferatur prae oculis ipsorum sepultura Mosis, et per corporale symbolum [id] ostendatur: videlicet « utpote contendebat diabolus adversus Michaelem angelum propter sepulturam Mosis »: et cum haec apparitio oculo corporali manifestaretur, radius lucis ibi apparuit et occultavit hanc sepulturam, ne sepulcrum Mosis nosceretur, et ideo p. 168. *scriptum est [1]: « Nemo novit sepulturam eius omnino ».

Et non est ausus iudicium proferre contra blasphemiam: h. e. non imperiose expulit Michael Satanam, sed Deo tradidit iudicium dicens: *Increpet te Dominus!* h. e. per illa rursum oportet intelligere luctam magnam et pugnam occurrere animabus tempore finis, a daemonibus. Et ideo oportet nos curare de bonis operibus, ut adiuvemur ab angelis sanctis. Interpretes alii dicunt: Corpus Mosis appellat Iuda ipsam legem; cum autem descenderet Moses de monte, ut daret legem populo, diabolus obsistebat ei, ut eum retardaret. Et litigabat cum Mose et dicebat: « Non est dignus populus hac lege ». Et ideo venit Michael ante Mosen et expulit Calumniatorem dicens ei: *Increpet te Dominus!* Alii dicunt: Corpus Mosis vocat Iuda populum Hebraeorum; et cum exierunt ex Aegypto, restitit diabolus, quasi dixisset Mosi: Non est dignum corpus tuum, id est populus, ut liberetur a servitute. Et contra diabolum stetit Michael et vituperavit eum dicens: *Increpet te Dominus!* Alii dicunt disceptationem diaboli cum Michaele ta-

[1] *Deut.*, XXXIV, 6.

lem fuisse: Volebat Michael sepelire Mosem, et Satanas impediebat eum dicens: Non est dignus sepultura, quia caedes multas cecidit, et non credidit Domino suo, quod scaturirent aquae e lapide. Michael vero non redarguit diabolum ob audaciam eius, sed tradidit iudicium Deo et dixit: *Increpet te Dominus!* Et statim aufugit Satanas et angelus sepelivit prophetam. Alii dicunt: Diabolus incepit litigare cum Michaele [dicens]: p. 169.
« Quomodo, cum dixisset Deus Mosi: ‘ Tu introduces populum in terram promissionis ’, *nunc interfecerit eum et non adimplevit promissionem suam? » Tunc Michael nihil respondit adversus audaciam eius praeter hoc solum: *Increpet te Dominus!* Et quare occultatum est sepulcrum prophetae? Et dicimus [1]: ne adorarent ossa eius quasi deum; populus enim adorabat lapides et ligna aut ossa mortuorum.

v. 10) *Hi autem ea quae ignorant blasphemant;* h. e. amatores concupiscentiarum huius temporis et operarii dolosi e quibus procedunt Manichaei.

v. 11) *Vae ipsis, nam in via Cain abierunt;* h. e. sunt sicut iste invidiosi et occisores fratrum suorum. *Et in errore Balaam;* h. e. qui docuit Balac lasciviam et fornicationem filiarum Madianitarum, qua devincerentur Hebraei; quod etiam factum est.

v. 12) *Hi sunt, qui in agapis vestris;* h. e. in donis et conviviis; de illis dixit Paulus [2]: « Hi quorum deus venter est, et sunt inimici crucis ». *Nubes absque aquis;* h. e. destituti doctrina vitae. *Arbores, quarum fructus defecerunt;* h. e. destituti virtutibus. *Quae bis mortuae sunt;* h. e. peccato.

v. 13) *Fluctus vehementes maris, declarantes ignominiam suam;* h. e. comparat eos cum perturbatis fluctibus maris, quia e perturbatione mentis eorum et ira, malorum genitrice, apparet eorum nequitia. *Et stellae errantes;* h. e. assimilat eos stellis errantibus eo quod quoad nomen vocantur lumina, sed [revera] sunt tenebrae et in tenebras reservantur.

v. 14) *Vaticinatus est autem de iis septimus ab Adamo, Henoch, dicens: « Ecce, venit Dominus »;* h. e. adducit hic demonstrationem e libro Henochi. Et si citius Athanasius dixit: Henoch librum non composuisse, tamen Mār Iacobus Edessenus

[1] Lege: ܘܐܡܪܝܢ. — [2] *Philip.*, III, 19, 18.

affirmat librum *Henochi esse, prout Iuda dixit. Vocat Henoch « septimum », quia Abel, qui non genuit filios et non tradidit semen, non computat: Adam, [Seth], Enoš, Cainan, Mehalael, Iared, Ḥenoch. *Ecce venit Dominus in myriadibus Sanctorum*: h. e. haec e libro Henoch adduxit Iuda.

v. 16) *Et admirantes personas utilitatum gratia*; h. e. admirantur et celebrant iuxta faciem, inique.

v. 17-18) *Ab apostolis Domini nostri*; h. e. respicit Paulum qui dixit [1]: « In temporibus ultimis surgent viri loquentes perversa, irrisores, et cetera ».

v. 19) *Ili sunt, qui seipsos separant, animales, in quibus non est Spiritus*; h. e. loquitur sanctus Cyrillus in epistula προσφωνητική, seu commonitione ad Theodosium imperatorem, de hac demonstratione adversus diophysitas, his verbis [2]: « Dicit enim unus apostolorum Domini nostri Iesu Christi: ' Dicebant vobis in fine temporum venturos ' in momento temporis ' animales, in quibus non est spiritus ' »; et postea dicit doctor: « Non ergo separemus nos ullo modo, ut dicamus duas naturas post unionem ». Animales vocat eos, quia sunt carnales et quod carnis est cogitant, iuxta illud [3]: « Homo qui animalis est non accipit spiritalia ». *In quibus non est spiritus*; h. e. actiones spiritales; rursum: expertes gratiae Spiritus sancti.

v. 23) *Odio habentes vos tunicam maculatam, quae carnalis est*; h. e. impudicitiam et intemperantiam et nimiam crassitudinem carnis et incrementum corporis in voluptatibus.

Explicit commentarius epistulae Iudae,
qui est frater Iacobi apostoli. Amen.

[1] Cfr. *Act. Ap.*, xx, 30; I *Tim.*, iv, 1. — [2] *Patr. Gr.*, LXXVI, col. 1167. — [3] I *Cor.*, ii 14.

INDEX TOMI CI

ܕܚܢܘܟ ܐܝܬܘܗܝ، ܐܒܓܒܐ ܕܝܗܘܕܐ ܐܡܪ. ܗܪܝܗ، ܫܒܝܥܝܐ ܠܚܢܘܟ܆ ܒܪ ܠܡܚܫܒ ܕܠܐ ܐܘܠܕ ܒܢܝܐ ܘܠܐ ܢܟܠ ܘܪܒܐ܆ ܠܐ ܫܒܩ. ܐܕܡ. [ܫܝܬ.] ܐܢܘܫ. ܩܝܢܢ. ܡܗܠܐܝܠ. ܝܪܕ. ܚܢܘܟ܀ ܗܐ ܐܬܐ ܡܪܝܐ ܒܪ̈ܒܘܬܐ ܕܩܕ̈ܝܫܐ: ܗ̄. ܠܗܠܝܢ ܕܝܢ ܒܟܬܒܐ ܕܚܢܘܟ ܐܝܬܝܗܝܢ ܢܣܘܪܐ܀

ܘܒܪ ܡܬܕܒܪܢܝܢ ܒܦܬ̈ܓܡܐ ܡܛܠ ܢܘܬ̈ܪܐ: ܗ̄. ܡܬܕܒܪܢܝܢ: ܡܗܠܟܝܢ ܒܐܦ̈ܐ ܒܗܠܐܝܬ܀

ܡܢ ܫܘܚܠܦܐ ܕܡܠܬܐ ܕܝܠܝ: ܗ̄. ܥܠ ܦܘܠܘܣ ܪܒܐ ܕܐܡܪ: ܕܒܙ̈ܒܢܐ ܠܡ ܐܚܪ̈ܝܐ ܢܗܘܘܢ ܐܢ̈ܫܐ ܡܡܠ̈ܠܝ ܡܒܗܬ̈ܬܐ ܡܒܙܚܢܐ ܘܫܪܒܐ܀

ܗܠܝܢ ܐܝܬܝܗܘܢ ܗܢܘܢ ܕܡܦܪܫܝܢ܆ ܢܦܫܢܝܐ ܕܪܘܚܐ ܠܝܬ ܒܗܘܢ: ܗ̄. ܐܡܪ ܡܪܝܐ ܩܘܪܝܠܠܘܣ ܒܐܓܪܬܐ ܦܪܘܣܦܘܢܝܬܝܩܘܢ ܐܘܟܝܬ ܕܒܗܕܝܢܐ ܕܠܘܬ ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܡܠܟܐ܆ ܥܠ ܗܕܐ ܬܫܒܘܚܬܐ ܠܘܬ ܬܪ̈ܝܢ ܒܢܝܐ ܗ̈ܘܝܢ. ܐܡܪ ܓܝܪ ܐܢܫ ܡܢ ܫܘܚܠܦܘܗܝ، ܕܟܪܢ ܢܫܡܥ ܡܫܝܚܐ: ܕܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܕܒܚܪܬܐ ܕܙܒܢܐ ܢܐܬܘܢ ܒܙܒܬܐ: ܥܠ ܢܦܫ̈ܐ ܕܪܘܚܐ ܠܝܬ ܒܗܘܢ. ܘܡܬܪܒܝܢ ܐܡܪ ܡܠܦܢܐ. ܕܠܐ ܗܘܐ ܢܦܪܘܫ ܟܢܫܐ ܡܢ ܙܢܝܢ. ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܬܪ̈ܝܢ ܒܢܝܐ ܡܢ ܒܬܪ ܚܘܒܬܐ܀ ܢܦܫ̈ܢܝܐ ܦܪܐ ܠܗܘܢ. ܡܛܠ ܕܡܫܪ̈ܝܐ ܐܝܬܝܗܘܢ ܘܕܒܫܪ ܡܬܕܒܪܝܢ. ܐܝܟ ܗ̄، ܕܒܪܢܫܐ ܕܢܦܫ ܗܘ: ܠܐ ܡܩܒܠ ܪ̈ܘܚܢܝܬܐ܀ ܕܪܘܚܐ ܠܝܬ ܒܗܘܢ: ܗ̄. ܕܡܘܗ̈ܒܬܐ ܪ̈ܘܚܢܝܬܐ. ܬܘܒ ܕܚܠܝܢ ܡܢ ܛܝܒܘܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ܀

ܒܪ ܩܢܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܗܝܡܢܘܬܐ ܡܫܒܚܬܐ ܗ̄، ܕܡܢ ܒܣܪܐ. ܗ̄: ܠܫܪܝܪܘܬܐ ܘܠܠܒܒܘܬܐ ܘܠܣܓܝܐܘܬ ܒܒܝܫܘܬܐ ܕܒܣܪܐ ܘܪܒܝܘܬܐ ܕܓܘܫܡܐ ܕܡܢ ܗܢܝܐܘܬܐ܀

ܫܠܡ ܦܘܫܩ ܐܓܪܬܐ ܕܝܗܘܕܐ ܕܐܝܬܘܗܝ
ܐܚܘܗܝ ܕܝܥܩܘܒ ܫܠܝܚܐ. ܐܡܝܢ܀

ܗܫܐ ܐܒܘܗ̇ܝ. ܘܠܐ ܐܫܪ ܫܘܒܩܢܗ. ܗ̇ܢܘܢ ܕܒܢܝܐܝܠ ܠܐ ܦܒܪ ܠܗܦܟܠ ܕܪܘܚܘܬܗ ܕܒܕܡ: ܐܠܐ ܐܦ ܗܕܐ ܒܠܘܚܕ܇ ܕܢܬܚܒܪ ܒܝ ܕܒܪܢܫܐ܀ ܘܟܠ ܕܒܗܘܢ ܐܬܬܠܫ ܡܒܪܐ ܕܢܒܝܐ. ܘܐܡܪܝܢ: ܐܝܟܢܐ ܕܠܐ ܢܫܬܪܘܢ ܠܫܪܒܗܘܢ، ܐܝܟ ܕܠܐܠܗܐ. ܒܒܟܐ ܕܝܢ ܦܫܝܩܝܢ ܗ̈ܘܘ ܠܐܦܝܐ ܘܠܦܢܝܬܐ ܐܘ ܠܫܪܒܐ ܕܒܢ̈ܬܐ܀

ܗ̇ܢܘܢ ܕܝܢ ܒܗ̇ܠܝܢ ܟ̇ܝ ܕܠܐ ܢܕܥܝܢ ܡܫܬܪܝܢ: ܗ̇. ܒ̈ܢܝܗ ܓ̈ܒܪܝܬܐ ܕܒܗ̇ܘ ܙܒܢܐ ܘܦܫܠܐ ܢܒ̈ܠܐ: ܕܟܕ ܢܗܘܘܢ ܐܬܝܒܠ ܒܫ̈ܝܢܐ܀

ܦ̇ܝ ܠܗܘܢ ܒܟܠ ܕܒܐܘܪܚܐ ܕܦ̇ܐܝܢ ܐܙܠܘ: ܗ̇. ܕܐܬܝܗܘܢ ܐܒܘܗ̈ܝ ܢܗܦ̈ܟܐ ܘܗܦܟܘ ܐܫ̈ܝܗܘܢ܀ ܘܒܫܘܬܐ ܕܒܠܒܗܘܢ: ܗ̇. ܕܐܠܦ ܠܒܠܥܡ ܦܓܘܬܐ ܘܢܘܦܬܐ ܕܒܢ̈ܬܗܘܢ ܕܡ̈ܕܝܢܝܐ: ܐܝܟܢܐ ܕܢܙܒܘܢ ܒܒ̈ܢܝܐ: ܗ̇، ܕܐܦ ܗ̇ܘܬ܀

ܗ̇ܢܘܢ ܕܒܫ̈ܝܢܬܐ ܕܠܒܗܘܢ: ܗ̇. ܒܐܝܡ̈ܪܐ ܘܡܪ̈ܬܐ. ܕܒܛܠܠܬܗܘܢ ܐܚܪܢ ܦܘܠܗܘܣ: ܗ̇ܢܘܢ ܕܐܠܗܗܘܢ ܟܪܣܗܘܢ. ܘܐܝܬܝܗܘܢ ܒܠܒ̈ܒܐ ܕܢܝܒܐ܀ ܒܒܢܝܐ ܕܠܐ ܟ̈ܢܝܐ: ܗ̇. ܕܓܠܝܢ ܕܝܢ ܢܘܦܝܐ ܕܫ̈ܢܐ܀ ܐܝܠܝܢ ܕܐܘܦ ܐܒܒܟܐ ܕܠܗܘܢ: ܗ̇. ܓܠܝܗ̇ ܕܝܢ ܒܡܬ̈ܪܬܐ܀ ܕܬܫܘܬ ܒܬܠܘ: ܗ̇. ܒܫܘܒܚܐ܀

ܓ̈ܠܠܐ ܒܪ̈ܝܬܐ ܕܢܒܐ ܒܫܘܝ ܒܗܬܬܐ ܕܠܗܘܢ: ܗ̇. ܒܪܒܬܐ ܠܗܘܢ ܠܓ̈ܠܠܐ ܫܓ̈ܝܫܐ ܕܢܒܐ ܕܒܗ ܫܓܝܫܘܬ ܬܪܥܝܬܗܘܢ ܘܢܒܥܬܐ ܒܥܠܕܬ ܒܝܫ̈ܬܐ ܒܬܓ̈ܠܝܐ ܚ̈ܪܒܬܗܘܢ܀ ܘܒܥܡ̈ܠܐ ܒܫܓܝܫܐ: ܗ̇. ܒܪܒܬܐ ܠܗܘܢ ܠܥܡ̈ܠܐ ܒܫܓܝܫܐ: ܒܗ̇، ܕܒܫܡܒܐ ܒܬܗܦܪܝܢ ܢܗܝ̈ܪܐ: ܘܐܝܬܝܗܘܢ ܚܫܘ̈ܟܐ ܘܫܓܝܪܝܢ ܠܫܘܒܚܐ܀ ܐܬܚܙܝ ܕܝܢ ܠܗ̇ܠܝܢ ܗ̇ܘ ܫܒܝܚܐ ܕܒܝܢ ܐܕܡ ܫܒܝܥܝ ܒܪ ܐܕܡ܇ ܗܐ ܐܬܐ ܡܪܝܐ: ܗ̇. ܐܝܟ، ܗܪܟܐ ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܝܢ ܒܬܟܒܐ ܕܫܒܥܝ. ܐܦ ܒܪܗܛܐܝܬ ܐܬܐܢܐܦܣܘܣ ܐܡܪ. ܕܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܒܬܟܒܐ ܠܫܒܥܝ: ܐܠܐ ܟܕ، ܢܫܒܘܩ ܕܐܘܪܝ، ܒܕܒܕܝܐ ܕܒܬܟܒܐ *ܕܠܗ 66 r°.

ܟܬܒ ܕܠܐ ܢܣܒ ܐܢܫ ܫܘܠܛܢܐ ܠܡܠܟܘܬܗ ܀ ܘܠܐ
ܐܡܪܝܢ ܕܕܝܢܐ ܢܐܬܐ ܥܠܘܗܝ ܕܓܘܕܦܐ: ܗ̈. ܠܗ
ܡܫܠܛܐܝܬ ܦܪܕܗ ܡܝܟܐܝܠ ܠܣܛܢܐ: ܐܠܐ *ܠܐܠܗܐ * 65 v°.
ܐܫܠܡ ܠܕܝܢܐ ܟܕ ܐܡܪ. ܢܟܐܐ ܒܟ ܡܪܝܐ: ܗ̈. ܟܕ
ܗܠܝܢ ܬܘܒ ܙܕܩ ܠܡܕܥ ܕܐܝܟܢܐ ܪܒܐ ܘܡܪܒܐ ܡܐܟ
ܥܠ ܢܦ̈ܫܬܐ ܒܕܝܢܐ ܕܡܪܝܐ ܡܢ ܫ̈ܐܕܐ. ܘܥܠܝܗ̇ ܙܕܩ
ܕܢܐܠܦ ܕܟܬ̈ܒܐ ܓܠ̈ܝܐ. ܐܝܟܢܐ ܕܐܬܚܒܪ ܡܢ ܡܠܐܟ̈ܐ
ܡܪ̈ܘܕܐ ܀

ܡܦ̈ܩܢܐ ܐܚܪ̈ܢܐ ܐܡܪܝܢ. ܕܦܓܪܐ ܕܡܘܫܐ ܩܪܐ
ܢܘܗܪܐ ܠܗ ܠܢܡܘܣܐ. ܘܟܕ ܢܚܬ ܗܘܐ ܡܘܫܐ ܡܢ
ܛܘܪܐ ܕܠܢܡܘܣܐ ܢܬܠ ܠܥܡܐ܆ ܐܟܠܣܪ̈ܝܐ ܩܐܡ
ܗܘܐ ܡܣܬܟܠܐܝܬ ܟܕ ܡܬܗܬܐ ܠܗ: ܘܕܐܢ ܗܘܐ ܥܡ
ܡܘܫܐ ܘܐܡܪ܆ ܕܠܐ ܫܘܐ ܥܡܐ ܠܗܢܐ ܢܡܘܣܐ.
ܘܥܠܗܕܐ ܡܝܟܐܝܠ ܟܕ ܐܙܠ ܩܕܡ ܡܘܫܐ: ܦܪܕܗ
ܠܐܟܠܣܪ̈ܝܐ ܟܕ ܐܡܪ ܠܘܬܗ. ܕܢܟܐܐ ܒܟ ܡܪܝܐ ܀
ܐܚܪ̈ܢܐ ܐܡܪܝܢ. ܕܦܓܪܐ ܕܡܘܫܐ ܩܪܐ ܢܘܗܪܐ ܠܥܡܐ
ܕܥܒܪ̈ܝܐ܆ ܘܟܕ ܢܦܩ ܡܢ ܡܨܪܝܢ. ܩܡ ܐܟܠܣܪ̈ܝܐ
ܕܠܡܘܟܠܐ ܘܐܟܢ ܗܘ ܕܐܡܪ ܠܡܘܫܐ ܕܠܐ ܫܘܐ
ܦܓܪܗ ܗܘ ܕܐܝܬܘܗܝ ܒܥܡܐ܆ ܕܢܬܚܪܪ ܡܢ ܥܒܕܘܬܐ.
ܘܠܡܟܠ ܐܟܠܣܪ̈ܝܐ ܩܡ ܡܝܟܐܝܠ ܘܟܐܐ ܟܕ ܐܡܪ:
ܕܢܟܐܐ ܒܟ ܡܪܝܐ ܀ ܐܡܪܝܢ ܐܚܪ̈ܢܐ ܕܕܝܢܐ ܕܐܟܠܣܪ̈ܝܐ
ܥܡ ܡܝܟܐܝܠ܆ ܗܢܐ ܗܘܐ. ܚܕܐ ܗܘܐ ܡܝܟܐܝܠ
ܕܢܩܒܘܪ ܠܡܘܫܐ܆ ܘܣܛܢܐ ܟܠܐ ܗܘܐ ܠܗ. ܟܕ ܐܡܪ
ܕܠܐ ܫܘܐ ܠܡܩܒܪܘܬܐ. ܡܛܠ ܕܩܛܠܐ ܡܨܪ̈ܝܐ
ܩܛܠ. ܘܠܐ ܐܫܪ ܠܡܪܗ ܕܢܟܢܫ ܓܪ̈ܡܐ ܡܢ ܟܐܦܐ.
ܡܝܟܐܝܠ ܕܝܢ. ܠܐ ܐܫܘ ܠܐܟܠܣܪ̈ܝܐ ܥܠ ܡܩܒܪܘܬܐ
ܕܝܠܗ: ܐܠܐ ܐܫܠܡ ܠܕܝܢܐ ܠܐܠܗܐ ܘܐܡܪ܆ ܕܢܟܐܐ
ܒܟ ܡܪܝܐ. ܘܟܕ ܫܡܥܗ ܒܪܡ ܣܛܢܐ. ܘܡܚܕ
ܡܠܐܟܐ ܠܢܟܝܐ ܀ ܐܚܪ̈ܢܐ ܐܡܪܝܢ ܕܫܪܝ ܕܐܝܟ
ܐܟܠܣܪ̈ܝܐ ܥܡ ܡܝܟܐܝܠ: ܕܐܢܬ ܠܡ ܟܕ ܐܡܪ ܐܠܗܐ
ܠܡܘܫܐ: ܕܐܢܬ ܬܬܠ ܠܥܡܐ ܠܐܪܥܐ *ܕܡܘܠܟܢܐ * 66 r°.

ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ ܐܚܪܢܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܘܗܢܐ ܛܒܐ ܗܘ.
ܘܠܬܪܝܗܘܢ ܠܐ ܒܟܬܒܐ ܐܚܪܢܝܢ. ܘܚܕ ܠܗ ܐܝܬܘܗܝ،
ܚܠܬܐ ܕܛܒܬܐ: ܘܐܚܪܢܐ ܚܠܬܐ ܕܒܝܫܬܐ. ܡܢ ܗܢܐ
ܢܠܦܝܢܐ *ܡܛܠܡ ܕܐܝܟܢ: ܘܒܢܕܝܢ ܘܫܪܒܐ ܀ ܘܒܠ *65 r°.
ܬܫܒܘܚܬܐ ܡܓܕܦܝܢ: ܗ″. ܬܫܒܘܚܬܐ ܦܪܐ ܠܡܠ̈ܦܢܐ
ܕܣܠܩܬ ܐܠܗܐ ܀ ܬܘܒ: ܦܪܐ ܬܫܒܘܚܬܐ ܠܬܪ̈ܬܝܢ
ܕܐܬ̈ܝܗܐܘ. ܡܛܠ ܕܒܬܫܒܘܚܬܐ ܘܒܐܝܡܪܐ
ܐܬܐܡܪ̈ܝ، ܘܐܬܒܪ̈ܟܘ. ܘܠܗܕܐ ܐܘܕܥ ܦܘܠܘܣ ܒܗ̇،
ܕܡܙܡܘܪ̈ܬܐ: ܕܕܘܒܪ̈ܐ ܠܗ ܕܛܝܒܘܬܐ ܘܕܦܘܣܩܐ ܗ̇ܘ
ܘܕܒܢܝܢ ܡܘܫܐ ܒܠ ܒܗ ܬܫܒܘܚܬܐ ܡܬܝܣܦܐ
ܒܬܫܒܚܬܐ ܗ̇ܝ، ܕܒܪܘܚܐ ܠܬܫܒܘܚܬܐ ܕܕܘܒܪ̈ܐ
ܕܐܘܢܓܠܝܘܢ ܡܫܦ ܀ ܐܦ ܒܗ̇ܠܝܢ ܕܒܬܪܟܢ ܬܘܒ ܦܪܐ
ܫܠܝܚܐ ܠܕܐܬ̈ܝܗܐܘ ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܠܠܝܗܝܢ ܓܕܦܘ
ܪ̈ܫܝܥܐ: ܗ″. ܒܗ̇، ܕܠܬܫܒܘܚܬܐ ܒܕܠܘ ܘܠܣܘܓܐܐ
ܕܢܕܬܐ ܢܒܠܘ. ܘܒܢܝܢ ܐܘܣܦܘ ܒܗ̇: ܘܐܚܪܝܢ ܦܣܩܘ
ܒܢܝܗ̇. ܘܡܛܠ ܗ̇ܠܝܢ ܕܡܛܪܦ ܠܗܘܢ ܢܡܘܣܐ. ܐܝܟ
ܗ̇ܝ ܕܠܐ ܢܐܬܝܢ ܒܢ ܢܒܘܬ ܓܘܕܦܐ. ܘܡܢܬܐ ܒܬܪܟܢ
ܘܐܡܪ..

ܡܝܟܐܝܠ ܕܝܢ ܗ̇ܘ ܪܝܫ ܡܠܐܟ̈ܐ: ܗ̇ܘ ܕܒܗ ܐܒܠܡܪܝܢ
ܕܐܝܟ ܗ̇ܘܐ: ܗ″. ܣܐܘܪܐ ܦܛܪܘܪܟܐ ܕܡܦܫܩ ܠܗܕܐ
ܗܢ: ܕܒܠܗܘܢ ܠܗ ܐܝܠܝܢ ܕܦܛܪܝܐܪܟܘܬ ܕܒܪܒܐ ܗ̇ܘܐ
ܢܡܘܣܐ: ܠܪܐܙ ܕܡܘܫܐ ܕܢܦܫܐ ܐܓܪ ܗ̇ܘܐ. ܐܚܝܢܐ
ܕܕܘܟ ܓܪܒܐ ܦܛܪܝܐ ܠܕܘܡܝܐ ܕܢܦܫܐ ܡܢ ܣܛܢܬܐ:
ܗܟܢܐ ܘܒܪ ܓܒܐ ܐܠܗܐ ܕܢܣܒܐ ܠܐܣܛܪܐܛܝܠ ܡܪܟܐ
ܕܦܐܝܡ ܒܠ ܢܦܫܐ ܒܬܪ ܥܢܝܕ ܕܒܢ ܦܓܪܐ. ܒܬܪ ܕܐܦ
ܡܒܘܪܬܐ ܕܒܡܘܫܐ ܠܒܢܝܗܘܢ ܬܗܘܐ. ܘܒܢܝ ܓܘܦܣܐ
ܦܓܪܢܐ ܢܣܒܐ ܠܡܕܐ. ܘܐܝܟ ܗ̇ܘ ܠܗ ܕܦܐܝܡ ܗ̇ܘܐ
ܣܘܡܠܐܝܬ ܐܒܠܡܪܝܢ ܠܘܩܒܠ ܡܝܟܐܝܠ ܡܠܐܟܐ
ܡܛܠ ܡܒܘܪܬܐ ܕܡܘܫܐ. ܘܣܢܬܐ ܗܕܐ ܒܢܝܫܐ
ܕܦܓܪܐ ܒܪ ܐܬܢܣܝܬ. ܠܝܘܡܐ ܕܢܘܗܪܐ ܐܬܢܝܚ، ܬܒܢ
ܘܢܦܩ ܠܗܘܢ ܕܠܐ ܢܬܒܥ ܡܒܪܐ ܕܡܘܫܐ. ܘܒܠܗܕܐ

ܬܘܒ ܦܘܫܩܐ ܕܐܓܪܬܐ ܕܫܒܥ: ܕܐܝܬܝܗ̇ ܕܝܗܘܕܐ ·:·

ܗ̇ܢܐ ܝܗܘܕܐ ܒܪ ܝܘܣܦ ܐܝܬܘܗܝ، ܘܐܚܐ ܕܝܥܩܘܒ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܘܪܫܠܡ ·:· ܟܠܬܐ ܐܓܪܬܐ ܗܕܐ ܕܩܕܝܫܐ ܩܐܘܢܐ: ܟܬܒܗ̇ ܠܗ̇ ܝܗܘܕܐ ܟܠܬܐ ܒܗܕܐ ܐܓܪܬܐ ܠܘܬ ܐܢܫܝܢ ܕܟܠܦܝܢ ܗܪ̈ܣܝܘܬܐ ܕܒܣܪܐ ܘܗܓܓܘܬܐ ܪ̈ܦܝܬܐ: ܘܐܚܪ̈ܢܝܢ ܕܗ̇ܠܝܢ ܐܝܬܝܗܝܢ ܕܡܠܬܐ. ܘܐܚܪ̈ܢܝܢ ܬܘܒ ܬܪ̈ܬܝܢ ܪ̈ܫܝܡܘܬܐ ܕܩܛܒܐ ܘܒܝܫܐ. ܐܒܕܒܐ ܕܐܠܦ ܐܘܐܠܝܛܘܣ ܘܡܐܢܝ ܘܡܪܩܝܘܢ ·:· [64 v°.]

ܟܠܗ̇ ܚܦܝܛܘܬܐ ܥܒܕ ܐܢܐ ܠܡܟܬܒ ܠܟܘܢ: ܗ̇″. ܒܦܠܓܘܬܐ ܠܡ ܐܝܬ ܠܝ ܕܐܫܘܕܥ ܠܟܘܢ. ܥܠ ܐܢܫ̈ܐ ܦܚ̈ܙܐ ·:· ܗܘ ܡܕܠܝܘܬܐ: ܗ̇″. ܥܠܘ ܠܥܕܬܐ ܐܢܫ̈ܐ ܪ̈ܫܝܥܐ ܘܦܚ̈ܙܐ ·:· ܐܝܟ ܕܠܡܗܕܘܢ ܘܠܥܒܘܪܐ: ܗ̇ܘ ܕܐܒܝܢܐ ܕܡܦܪ̈ܘܩܝܢܐ ܡܛܠ ܦܚܙܘܬܐ ܢܡܘܣ: ܒܗ̇ ܒܥܒܘܕܬܐ ܗ̇ܠܝܢ ܗܘܐ ܡܫܪܬܝܢ ܒܬ̈ܓܡܬܐ: ܘܢܛܪ̈ܝܢ ܠܬܫܢܝܩܐ ·:·

ܐܦ ܗ̇ܠܝܢ ܕܒܡܠܟܐ ܡܫܬ̇ܪܓܪܓܝܢ: ܗ̇″. ܘܡܬܚܠܡܠܡܝܢ ܗ̇، ܕܐܝܬܝܗ̇ ܕܗ̇ܠܝܢ ܚܠܡܐ ܡܬܪܓܝܢ. ܘܒܗ ܓܓܘܬܐ ܕܡܠܐ ܘܒܢܐ ܐܝܟ ܕܒܫܝܬܐ ܡܬܛܒܥܝܢ ·:· ܠܒܣܪܐ ܕܝܢ ܡܛܢܦܝܢ: ܗ̇″. ܠܗܘܢܐ ܘܠܒܣܪܐ ܡܛܐܒܝܢ. ܘܫ̈ܠܡܐ ܕܢܘܢ ܫ̇ܘܘ: ܫܒܩܝܢ ܫ̇ܘܘ ܠܗܘܢ. ܘܥܠ ܐܝܠܝܢ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܕܘܒܪ̈ܐ ܦܫܝܐ ܕܐܝܟ ܗ̇ܠܝܢ: ܫܘܕܥ ܦܘܠܘܣ. ܕܗ ܠܠܝܐ ܘܫܢܬܐ ܒܕܝܘܡܬܐ ܦ̇ܪܐ ܠܬ̈ܪܒܝܬܗܘܢ. ܐܡܪ ܓܝܪ ܕܠܠܝܐ ܒܒܪ. ܒܬܪܟ: ܢܡܘܣ ܓܒܝ ܒܒ̈ܪܝܐ ܕܫܒܘܒܐ. ܠܐ ܒܡܫ̈ܪܐ ܘܪ̈ܘܝܘܬܐ ܠܐ ܠܒ̈ܬܟܘܬܐ ܘܠܦܚܙܘܬܐ. ܘܥܠ ܕܐܝܟ ܗ̇ܠܝܢ ܐܡܪ ܝܗܘܕܐ ܕܗܒܢܐ ܠܡ ܡܬܚܠܡܠܡܝܢ. ܘܠܒܣܪܐ ܡܛܐܒܝܢ ܘܡܫܟ̈ܢܘܬܐ ·:·

ܠܡܪܘܬܐ ܕܝܢ ܛܠܡܝܢ: ܗ̇″. ܠܐ ܡܩܒܠܝܢ ܐܒܘܬܗܘܢ ܚܕܐ ܡܪܘܬܐ. ܐܠܐ ܕܐܚܪ̈ܢܝܢ ܕܐܠܗܐ ܕܒܛܝܠܘܬܐ ܒܫܐܐ ܐܝܬܘܗܝ، ܘܢܗܪܐ ܒܕ̈ܝܢܐ: ܗ̇ܘ ܕܝܢ ܕܢܗܪܬܐ ܕܡܠܠ

ܠܐ ܬܬܐܡܪܘܢ ܠܗ: ܗ̇". ܫܠܡ ܠܟ. ܒܠܘܩܒܠ ܒܗܕܐ:
ܕܐܦܠܐ ܫܠܡܐ ܢܬܠܘܢ ܠܡܫܝܚܐ܀

ܫܠܡܬ܀

ܬܘܒ ܦܘܫܩܐ ܕܐܓܪܬܐ ܕܬܠܬ ܕܝܘܚܢܢ ܒܪ ܙܒܕܝ܀

ܣܒܐ ܗ̇ܪܐ ܫܠܝܚܐ ܠܗܢܐ ܓܐܝܘܣ. ܡܛܠ ܒܢܬܪܘܬܗ ܘܟܠ ܕܐܝܬܘܗܝ، ܒܡܫܠܡܢܐ ܕܐܒܘܣ̈ܩܢܐ ܘܕܐܝܟ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܫܬܦܬܐܝܬ܀
ܕܝܘܦܐܓܪܘܣ[1] ܠܐ ܡܩܒܠ ܠܗ: ܗ̇". ܡܦܪܓ ܠܗܢܐ ܕܝܘܦܐܓܪܘܣ ܕܐܝܬܘܗܝ، ܗ̇ܘܐ ܪܫ ܒܥܕܬܐ. ܒܠ ܕܗ̇ܘ ܠܗܘܒܠܗ ܘܠܐ ܢܟ̈ܣܐ ܗ̇ܘܐ ܕܢܕ ܚ ܠܐܚܘ̈ܗܝ ܘܠܐܢܫܝܢ ܕܒܥܝܢ ܗ̇ܘܘ ܕܢܩܒܠܘܢ ܠܐܟ̈ܣܢܝܐ ܒܠܒܐ ܠܐ ܗ̇ܘܐ ܒܥܕܬܗ܀
ܠܐ ܬܬܕܡܐ ܒܒܝܫܬܐ: ܗ̇". ܒܠܘܩܒܠ ܠܕܝܘܦܐ ܕܠܐ ܢܬܕܡܐ ܠܕܝܘܦܐܓܪܘܣ܀ ܐܠܐ ܒܛܒܬܐ: ܗ̇". ܕܒܫܝܢܐ ܗ̇ܘ ܕܐܡܪ ܕܐܒܫܝܢܐ ܗܘܝܬ ܘܒܫܝܢܘܬܢ܀

ܫܠܡܬ ܐܓܪܬܐ ܕܬܠܬ ܕܝܘܚܢܢ ܒܪ ܙܒܕܝ܀

[1] Pešitta : ܕܝܘܐܓܪܦܐܣ.

ܐܢ ܐܝܟ ܝܚܝܕܝܐ ܠܐܢܫܐ ܕܠܗ ܕܢܬܦܠܐ ܠܐ ܐܝܬܘܗܝ، ܠܘܬ ܟܢܘܫܬܐ: ܗ̇". ܚܘܒܐ ܕܝܢ ܕܢܚܝܡ ܡܢ ܡܗܝܡܢܘܬܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܐܝܠܐ ܕܟܬܝܒ ܡܢܗ ܐܝܟ ܘܠܐ ܦܪܥ ܠܗ ܬܘܒ ܘܡܬܬܘܐ ܡܛܠܬܗ ܘܡܦܪܥ ܬܝܒܘܬܐ ܚܠܦܘܗܝ ܀ ܚܘܒܐ ܕܝܢ ܕܡܗܝܡܢܘܬܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܐܝܠܐ ܕܐܡܝܢܐܝܬ ܡܫܬܡܫ. ܐܟܢܐ ܕܓܒܪܐ ܘܪܚܡܬ ܒܫܦܝܐ ܘܪܚܡܘܬܐ ܘܫܪܟܐ. ܟܕ ܓܒܪ ܠܐ ܦܐܫ ܐܝܟ ܡܢ ܗ̇ܘ ܕܡܫܡܫ ܠܚܕ ܡܢ ܗ̇ܠܝܢ ܚܘ̈ܒܐ. ܕܡܗܝܡܢܘܬܐ ܕܬܫܪܝܬܐ: ܡܛܠ ܕܡܢܗ ܡܐܝܬ ܒܗ ܒܢܘ. ܘܐܝܟܢܐ ܕܟܠ ܗܢܐ ܓܐܠ ܫܘܡܠܝܐ ܡܬܝܗܒ. ܒܬܪ ܓܒܪ ܕܡܗܝܡܢܘܬܐ *ܠܐ ܡܪܚܡܐ ܠܚܘܒܐ: * 64 r°. ܐܝܟ ܕܟܠ ܚܠܦܘܗܝ ܫܘܡܠܝܐ ܀

ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܚܢܢ: ܗ̇". ܒܗ̇ ܕܢܬܒܪܝܢ ܦܘܩܕܢܘܗܝ ܀

ܘܟܠܗܝܢ ܒܠܗ ܒܟܝܢܐ ܗ̇ܘ ܩܢܘܡ: ܗ̇". ܝܠܐ ܗ̇ܘ ܠܘܬ ܒܝܬܐ ܒܪܢܫܐ. ܟܠ ܒܪܢܫܐ ܪܥܝܢ: ܕܒܐܝܪܘܬܗ ܦܪܥ ܒܝܬܐ. ܡܢܝܢ ܒܠܒܐ ܠܗ ܦܪܥܐ ܀

ܡܢ ܕܚܝܬ ܦܬܓܡܐ ܓܪܘ ܐܝܬܘܗܝ ܠܟܘܢ: ܗ̇". ܡܢ ܚܫ̈ܐ ܫܢ̈ܝܐ. ܕܠܗܘܢ ܦܪܥܐ ܡܦܪܥ ܦܬܓܡ̈ܐ ܀

ܫܠܡܬ ܡܦܩܢܘܬܐ ܀

ܬܘܒ ܐܓܪܬܐ ܕܬܪ̈ܬܝܢ ܕܝܘܚܢܢ ܐܘܢܓܠܝܣܛܐ ܒܪ ܙܒܕܝܐ ܀

ܗ̇ܘ ܩܫܝܫܐ: ܗ̇". ܟܠ ܢܦܫܗ ܕܗ̇ܢܐ ܝܘܚܢܢ. ܘܦܩܕܐ ܡܫܡܫܢܗ ܗ̇ܘ ܠܗ. ܡܛܠ ܡܫܬܪܪܘܬܗ̇ ܕܗܕܐ ܡܘܪܝܐ. ܟܬܒ ܠܗ̇ ܐܓܪܬܐ ܀ ܕܢܕܟܘ ܠܫܪܪܐ: ܗ̇". ܫܪܪܐ ܠܡܫܝܚܐ ܡܪܢܐ ܕܒܗ ܐܝܠܝܢ ܕܚܠܝܢ ܒܫܡܗ ܡܫܡܗܐ ܀ ܕܐܫܟܚܬ ܡܢ ܒܢܝܟܝ ܕܗܠܟܝ ܕܡܗܠܟܝܢ ܒܫܪܪܐ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܡܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ ܘܒܕܚܠܬ ܐܠܗܐ ܀ ܒܬܪ ܗ̇ܠܝܢ ܡܚܘܐ ܠܗ̇ ܒܐܓܪܬܐ: ܟܠ ܚܘܒܐ. ܘܡܙܗܪ ܠܗ̇ ܡܢ ܡܛܥܝܢܘܬܐ: ܕܐܡܪܝܢ ܕܒܡܫܝܚܘܬܐ ܐܬܚܙܝ ܡܪܢ ܀ ܘܠܐ ܒܫܪܪܐ ܐܬܓܠܝ ܒܒܣܪ ܀ ܘܚܙܝ،

ܪܘܚܐܝܬ ⁘ ܡܐܝܢ ܐܦ ܠܗ̇ܘ ܕܐܬܝܠܕ ܡܢܗ: ܗ̈. ܠܒܪܢܫܐ ܒܝܠܕܗ: ܕܐܦ ܡܢ ܐܠܗܐ ܝܠܝܕ ܐܒܘܗܝ. ܒܡܕܝܢܐ ܘܒܙܒܢ̈ܐ ⁘

ܘܟܠ ܕܝܠܕ ܡܢ ܐܠܗܐ: ܗ̈. ܒܝܕ ܡ̈ܝܐ ܘܪܘܚܐ ⁘ ܙܟܐ ܠܥܠܡܐ: ܗ̈. ܠܐܟܠܡܪ̈ܝܐ ܙܟܐ ܒܝܕ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܗܝܡܢ ܒܡܫܝܚܐ ⁘

ܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ, ܗ̇ܘ ܕܐܬܐ ܒܝܕ ܡ̈ܝܐ ܘܕܡܐ ܘܪܘܚܐ: ܗ̈. ܡ̈ܝܐ ܪܐܙ ܦܓܪܐ ܕܝܫܘܥ. ܘܕܡܐ ܪܐܙ ܢܦܫܐ. ܘܪܘܚܐ ܪܐܙ ܐܠܗܘܬܐ ⁘

ܘܬܠܬܝܗܘܢ ܚܕ ܐܝܬܝܗܘܢ: ܗ̈. ܒܚܝܫܘܬܐ ܐܘܟܝܬ ܫܪܝܪܬܐ: ܘܚܕ ܐܠܗܐ ܕܡܒܪܢܫ ܐܫܬܡܠܝ ܒܝܢܝܗܘܢ ⁘ ܕܡܪܓܠܝܘܣ. ܪܘܚܐ ܘܡ̈ܝܐ ܘܕܡܐ ⁖ *ܘܬܠܬܝܗܘܢ ܕܚܕ *63 v°. ܐܢܘܢ. ܗ̈. ܗܘܐ ܦܓܪܐ ܡܠܬܐ ܐܠܗܐ. ܡܥܒܕ ܕܝܢ ܒܪܘܚܐ ܘܡܕܒܪܐ ܒܕܡܗ. ܘܡܫܝܓ ܬܘܒ ܒܡ̈ܝܐ ܕܟ̈ܝܐ. ܚܕ ܗ̇ܘ ܓܝܪ ܒܟܠ ܦܪܨܘܦܝܢ ܒܪܐ ܗ̇ܘ. ܕܒܠܗ ܐܫܪܝܢ ܕܐܝܬܘܗܝ, ܪܘܚܐ ܘܕܡܐ ܘܡ̈ܝܐ ⁘ ܬܘܒ ܪܘܚܐ ܪܐܙ ܪܘܚܐ ܕܢܦܚ ܒܐܕܡ ܘܒܬܠܡܝܕ̈ܐ. ܘܕܡܐ ܪܐܙ ܒܣܪܐ. ܘܡ̈ܝܐ ܪܐܙ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ⁘

ܬܘܒ ܡ̈ܝܐ ܘܕܡܐ: ܪܐܙ ܒܣܡܐ ܕܡܬܝܗܒ ܡܢ ܡ̈ܝܐ ܘܫܡܪܐ: ܘܪܐܙ ܕܡܐ ܘܡ̈ܝܐ ܕܢܦܩܘ ܡܢ ܕܦܢܗ ܒܪܘܡܚܐ. ܘܪܘܚܐ ܪܐܙ ܢܦܫܐ ⁘ ܬܘܒ ܕܡܐ ܪܐܙ ܕܡܐ ܕܦܨ̈ܚܐ. ܘܡ̈ܝܐ ܪܐܙ ܠܡܒܠܬ ܡܕܡܝܬܐ ܕܡ̈ܝܐ: ܘܪܐܙ ܡܥܡܘܕܝܬܐ: ܘܪܐܙ ܡ̈ܝܐ ܕܥܡܕ ܒܗܘܢ. ܘܪܘܚܐ ܪܐܙ ܗ̇ܘ ܕܫܪܐ ܥܠܘܗܝ ܒܝܘܪܕܢ ⁘ ܠܘ ܒܡ̈ܝܐ ܒܠܚܘܕ: ܗ̈. ܠܘ ܒܦܓܪܐ ܐܠܐ ܒܦܓܪܐ ܘܢܦܫܐ ܥܡ ܠܥܠܡܐ ܕܡܠܬܐ ܐܠܗܐ. ܘܪܘܚܐ ܐܝܬܘܗܝ, ܗ̇ܘ ܕܣܗܕ ܒܝܘܪܕܢ: ܟܕ ܢܚܬ ܥܠܘܗܝ, ܐܝܟ ܝܘܢܐ. ܘܬܠܬܝܗܘܢ ܗ̇ܘ ܐܝܬܝܗܘܢ: ܗ̈. ܡܫܝܚܐ ܕܐܝܬܘܗܝ, ܡܢ ܢܦܫܐ ܘܦܓܪܐ ܘܐܠܗܘܬܐ ⁘

ܘܐܢ̱ ܠܣܗܕܘܬܐ ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ ܡܩܒܠܝܢ: ܗ̈. ܕܣܗܕܝܢ ܕܐܣܗܕ ܥܠ ܡܫܝܚܐ ⁘ ܣܗܕܘܬܐ ܕܐܠܗܐ ܝܬܝܪ ܪܒܬܐ: ܗ̈. ܗ̇ܝ ܕܐܡܪ: ܕܗܢܘ ܒܪܝ ܚܒܝܒܐ ⁘

ܠܐ ܗܘܐ ܒܪܢܫܐ. ܐܦܠܐ ܩܠܝܠ ܒܒܣܪܐ ܠܘܬ ܐܒܐ. ܘܐܦܠܐ ܦܢܐ ܕܝܢ ܫܒ̈ܝܢܐ ܐܒܘܗ̈ܝ ܒܪܢܫܐ: ܗ̇. ܒܒܣܪܐ ܀

ܡܛܠ ܕܪܒܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗ̇ܘ ܕܒܒܗ̇ܘܢ: ܗ̇. ܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ: ܬܘܒ ܕܝܢ ܪܘܚܐ ܐܦܠܛܘܢܝܐ ܕܐܡܪ ܒܒܢܝܐ ܕܟ̈ܠܐ ܀

ܣܓ̈ܝܐܘ ܢܐܣܒ ܠܣܗ̈ܕܐ: ܗ̇. ܕܝܢ ܕܪܫ ܡܥܒ̈ܪܐ ܕܡܒܠܠ ܥܠ ܚܘܒܐ. ܡܛܠ ܕܗ̣ܘ ܐܝܬܘܗܝ ܚܘܒܐ ܕܡܦܩ̈ܪܬܐ ܀

ܘܐܠܗܐ ܚܘܒܐ ܡܬܩܪܐ ܀ ܕܝܢ ܐܠܗܐ ܢܛܪ: ܗ̇. ܒܢܪ ܕܘܒ̈ܪܐ܀ ܘܒܢܪ ܗ̇ܝ ܕܡܐܣܒ ܠܩܪܝܒܗ ܀

ܐܢ ܐܠܗܐ ܡܒܢܐ ܐܣܒ ܠܝ: ܗ̇. ܒܗ̇ܝ ܕܫܕܪ *ܠܒܪܗ ܠܥܠܡܐ ܡܛܠܬܢ: ܐܝܟܢܐ ܕܢܫܒܘܩ ܠܚܛܝܬܐ ܕܝܠܢ ܀ *63 r°.

ܠܐܠܗܐ ܠܐ ܐܢܫ ܚܙܐ ܡܡܬܘܡ: ܗ̇. ܒܗ̇ܝ ܕܐܝܬܘܗܝ ܒܢܟܝܢܬ: ܐܦܠܐ ܡ̈ܠܐܟܐ ܡܨܝܢ ܚܙܝܢ ܠܗ ܀

ܐܠܗܐ ܒܢ ܡܦܣܐ. ܗ̇. ܒܢ ܓܒܪܐ ܐܠܗܐ ܒܪ ܠܣܗ̈ܕܐ ܡܣܟܝܢ ܘܚܘܒܗ ܡܫܬܡܠܝܐ ܡܬܚܙܝܐ ܒܢ ܀

ܕܫܠܡܬܐ ܠܐ ܐܝܬ ܒܚܘܒܐ: ܗ̇. ܒܚܘܒܐ ܗ̇ܘ ܕܠܘܬ ܐܠܗܐ ܀ ܐܠܐ ܚܘܒܐ ܡܫܡܠܝܐ ܠܒܪ ܪܡܐ: ܗ̇. ܗ̇ܘ ܕܡܫܡܠܝܐܝܬ ܡܐܚܒ ܠܐܠܗܐ. ܡܒܣܪ ܥܠ ܕܫܠܡܬܐ ܕܕ̈ܝܢܐ ܘܥܠ ܫܘ̈ܪܐ ܘܐܘ̈ܠܨܢܐ ܕܥܠܡܐ ܀

ܘܠܐܝܢܐ ܕܝܠܗ ܦܢܐ: ܗ̇. ܒܢܪ ܩܘܠܘܣܩܘܣ ܐܘܟܝܬ ܗܘܦܟ ܣܘ̈ܥܪܢܐ ܡܬܚܫܚ. ܕܐܢ ܠܐܚܘܟ ܕܡܬܚܙܝܐ ܘܠܝܬܘܟ ܚܒܝܒ ܡܬܗܦܟ ܦܢܐ ܐܢܬ: ܠܐܠܗܐ ܕܠܐ ܡܬܚܙܝܐ ܘܡܒܠܠ ܡܢܟ. ܐܝܟܢ ܡܐܚܒ ܐܢܬ. ܐܝܟܢܐ ܠܐܚܘܟ ܡܐܚܒ ܐܢܬ ܡܬܚܠܠܐ ܚܙܝܢ ܠܘܬ ܐܠܗܐ. ܗ̇ܘ ܕܚܙܐ ܘܠܚܒܠ ܠܐܚܘܟ ܐܝܟ ܡܢܐ ܕܠܝܟ. ܘܐܢ ܠܟܠܬܗ ܦܢܐ ܐܢܬ: ܐܦ ܠܗ ܦܢܐ ܐܢܬ ܀

܀ ܗ ܀

ܟܠ ܡܢ ܕܡܐܚܒ ܕܝܢ ܐܠܗܐ ܢܛܪ. ܗ̇: ܒܢܪ ܕܘܒ̈ܪܐ ܡܬܐܡܪ ܕܡܬܚܫܒܬ ܐܢܫ ܘܢܛܪ ܕܝܢ ܐܠܗܐ. ܐܝܟܢܐ ܕܢܛܪ ܒܢܗܝܪܐ ܀ ܘܟܠܗܝܢ ܕܡܐܚܒ ܠܗ̇ܘ ܕܝܠܕ: ܗ̇. ܒܡܦܩܬܐ ܗܘܪܫܬܐ ܠܝܠܘܕܐ: ܗ̇. ܠܐܠܗܐ ܕܐܘܠܕ ܠܝ

ܒܬܘܪܐ܂ ܘܐܡܪ ܐܝܕܗ ܡܢ ܐܚܘܗܝ ܕܡܫܝܚܐ: ܚܠܦ ܕܡܢ ܣܘܟܐ ܕܐܠܗܐ: ܗܘ ܕܫܘܐܝܬ ܐܬܚܒܠ ܠܝ ܠܓܒܝ̈ܬܗ ܘܡܘܗ̈ܒܬܗ ܀ ܬܘܒ ܐܝܟܐ ܕܩܢܝܐ ܢܕܒܬܐ܂ ܘܠܐ ܡܫܪܬܢ ܒܗ ܠܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܩܝܫܝܢ ܥܠ ܢܦܫܐ: ܐܝܟܢܐ ܡܐܡܪ ܠܐܠܗܐ ܕܢܗܘܐ ܠܗ ܢܕܒܬܐ. ܡܛܠ ܕܢܪܟܐ ܠܡܫܦܐ ܐܘܟܕܬ ܠܢܦܫܐ ܥܠ ܦܬܘܪܐ ܐܘܟܕܬ ܒܐܕܢܐ ܕܫܡܘܥܐ܂ ܐܬܚܠܠ ܠܗ ܠܡܠܦܢܘܬܐ ܀

62 v°. *ܠܐ ܢܐܡܪ ܡܡܠܬܐ ܐܦܠܐ ܠܫܢܐ: ܗ̄. ܒܪܝܐܝܬ ܘܡܕܡ ܢܡܪ̈ܐ܂ ܒܪ ܡܢ ܠܗ ܕܠܝܢ ܫܢܝܬܐ. ܐܠܐ ܒܫܪܪܐ ܡܢ ܟܠܗ ܠܒܐ ܢܐܡܪ ܠܫܪ̈ܪܐ ܀

ܘܡܕܡܘܗܝ ܢܦܫ ܠܠܒ̈ܘܬܐ ܕܝܠܝ. ܗܘ ܘܡܕܡ ܕܢܦܘܩ ܡܢ ܦܘܡܗ ܒܕܝܢܐ ܢܕܘܢ. ܡܛܠ ܕܐܝܟ ܡܢ ܬܐܪܬܐ ܡܬܚܫܒ ܕܡܫܝܚܝܢ܂ ܒܪܟܐ ܢܬܬܪܐܝܬ ܡܢ ܐܠܗܐ ܀ ܗܘ ܕܒܠܒܘܕܡ ܢܕܒ ܀

ܐܢ ܠܒܐ ܕܝܠܝ ܠܐ ܚܫܒ ܠܝ: ܗ̄. ܐܢ ܬܪܒܝܬ ܠܐ ܡܬܦܪܓܐ ܠܝ: ܘܚܫܒܐ ܘܫܦܝܠܐ ܠܝ ܕܐܝܬ ܠܝ ܒܒܪ̈ܐ ܒܝ̈ܬܐ: ܚܠܝܡܬ ܐܦ̈ܐ ܐܝܬ ܠܝ ܡܕܡ ܐܠܗܐ܂ ܘܒܠܒܐ ܕܫܐܠܝܢ ܡܢ ܐܠܗܘ̈ܬܐ ܠܐ ܒܠܐ ܠܝ ܀

ܘܒܗܕܐ ܢܕܒܝܢ ܕܒܫܘܐ ܒܝ. ܘܡܢ ܪܘܚܐ ܗܘ ܕܢܗܘܒ ܠܝ: ܗ̄. ܐܟܘܬܐ ܒܪ ܡܕܒܒܪܢܘܬܗ ܗܐ ܡܬܚܙܝܐ ܒܝ܂ ܒܪ ܫܒܘܪܘܬ ܬܕܡ̈ܪܬܐ: ܗܒܢܐ ܘܒܪܪܐ ܗܘ ܕܠܒܫܝܢ ܒܒܪܕܐ܂ ܒܪ ܡܕܒܪ ܘܡܕܒܪ ܀

܀ ܕ ܀

ܠܐ ܠܒܠ ܪܘܚܐ ܬܬܗܕܡܘܢ: ܗ̄. ܡܛܠ ܕܫܡܒܐ ܕܪܘܚܐ ܫܦܐ ܐܝܟܐ ܗܘ. ܘܡܫܬܐܠܘܬ ܘܢ̈ܒܐ ܡܬܚܫܒ. ܐܟܪ̈ ܕܐܦ ܦܬܠܐ ܪܘܚܐ ܡܬܘܪܐ. ܘܡܠܦ ܫܘܩܪܐ ܠܡܫܬܐܠܐ ܀

ܒܠ ܪܘܚܐ ܕܡܕܡܢܐ ܕܢܦܘܩ ܡܫܝܚܐ ܒܡܫܦܪܐ ܐܬܬܐ ܠܕܠܡܬܐ: ܗ̄. ܒܗܝ ܕܡܫܦܪܐ܂ ܡܕܠܡܒ ܠܗܘܢ ܕܒܦܬܓܡܐ ܐܟܪܝܢ ܕܐܬܬܐ ܘܡܢܪ ܒܡܬܠܬܐ ܐܝܟ ܬܢ̈ܝܐ ܕܡܫܠܡܢܐ ܀ ܬܘܒ ܒܠ ܪܘܚܐ: ܗ̄. ܐܢ ܠܒܪ

ܕܡܬܠܡܕܐ ܦܫܐ ܠܟܘܢ ܚܠܡܐ ܐܘ. ܒܝܬ ܐܢ̈ܫܐ ܒܢ̈ܫܐ ܀

ܕܕܡܝܢ ܠܗ ܫܘܝܢ: ܗ̇. ܒܝܕ ܕܘܒ̈ܪܐ ܡܬܕܒܪܝܢ ܠܗ. ܠܦܘܬ ܕܡܟܝܠܐ ܠܒܪ̈ܝܬܐ ܕܡܬܕܒܪܐ ܠܒܪܢܫܐ ܀ ܘܡܛܠ ܕܢܚܝܢ ܠܗ: ܐܒܕܢܐ ܕܐܝܬܘܗܝ: ܗ̇. ܠܘ ܒܐܠܗܘܬܗ ܐܡܪ ܕܡܬܚܫܢܐ. ܐܠܐ ܒܦܓܪܐ ܕܠܒܫ: ܐܒܕܢܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܠܗܘܢ ܒܚܠܡܐ. *ܘܐܦ ܒܪ ܫܠܡ ܠܫܡܝܐ ܀ * 62 r°.

ܐܒܕܢܐ ܕܗܘ ܘܢܟܝܐ ܐܝܬܘܗܝ: ܗ̇. ܒܫܘܚܢܐ ܀

ܠܗܕܐ ܐܬܟܠܝ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܕܢܝܪܐ ܒܒ̈ܢܘܗܝ: ܗ̇. ܡܘܚ̈ܪܝܐ ܕܫܦܝܪܘܬܐ: ܘܥ̈ܒܐ ܒܢ̈ܫܐ ܕܥܒܕ ܒܒܢ̈ܝܢܫܐ ܐܟܠܘܪܝܐ ܀

ܒܠ ܢܟܝ ܕܠܒܪ ܡܢ ܐܠܗܐ: ܗ̇. ܒܝܕ ܒܡܒܪܐ ܀ ܘܪܟܒ ܒܗ ܒܟܘܠܐ: ܗ̇. ܫܘܒܚܐ ܕܟܠ. ܬܘܒ ܒܠ ܢܟܝ ܕܠܒܪ ܡܢ ܐܠܗܐ: ܗ̇. ܠܘ ܡܛܠ ܕܒܚܝܝܗ ܐܝܬܘܗܝ، ܐܝܟ ܠܐ ܢܫܘܫܐ: ܐܠܐ ܡܛܠ ܕܢܛܪ ܢܦܫܗ. ܗ̇، ܕܐܡܪܝܢܐ ܠܦܘܠܘܣ ܕܗܘ ܕܫܟܒ ܕܡܐܟ ܢܒܝܐ ܕܠܟܐ ܕܢܦܠ. ܐܝܟ ܕܡܫܪܪܐ ܓܒܪ ܗܘ ܕܢܛܪ ܢܦܫܗ ܫܠܝܢ ܕܠܪܘܚܐ ܡܪܢܫܐ ܫܦ̈ܪܝܢ ܦܓܪ: ܕܢܚܛܐ ܒܬܪ ܚܛܝܬܐ ܡܪܢܫܐ ܠܐ ܡܫܒܚ ܐܡܪ ܀

ܦܘܪܢܐ ܕܫܒܝܬܘܢ ܡܢ ܡܪܝܐ: ܗ̇. ܒܚܛܝܬܘܬܐ ܐܦ ܒܐܘܪܚܬܗܘܢ ܀

ܕܡܐܢ ܡܢ ܒܢܫܐ ܐܝܬܘܗܝ: ܗ̇. ܕܠܘ ܡܢ ܒܢܫܐ ܗ̇ܘܐ ܐܡܪ: ܐܠܐ ܕܒܪ ܐܢܫܐ ܠܘܬ ܒܢܫܬܐ: ܐܝܟ ܗ̇ܘ ܕܡܢ [ܒܢܫܐ] ܐܡܪ ܕܐܝܬܘܗܝ ܀

ܕܫܒܩ ܡܢ ܡܘܬܐ ܠܚ̈ܝܐ: ܗ̇. ܒܝܕ ܡܕܡܕܒܪܢܘܬܐ ܘܒܝܕ ܕܘܒ̈ܪܐ: ܢܦܩܝܢ ܡܢ ܚܛܝܬܘܬܐ ܕܫܦܝܪܘܬܐ ܠܚ̈ܝܐ ܐܘܢ̈ܓܠܝܐ ܀ ܡܦܩܐ ܒܡܘܬܐ: ܗ̇. ܕܫܦܝܪܘܬܐ ܀

ܩܛܠ ܐܢ̈ܫܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܐܒܕܢܐ ܕܡܛܠ ܡܐܢ ܠܐܚܘܗܝ: ܗܕܐ ܘܒܠ ܕܦܫܐ ܠܒܝܬܗ: ܡܛܠܠܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܐܝܟ ܕܡܢ ܙܒܢܗ ܀

ܗ̇ܘ ܕܐܝܬ ܠܗ ܡܢܝܢܐ ܕܚܠܡܐ: ܗ̇. ܐܢܫܐ ܐܢܫܐ ܕܡܫܐ

ܡܢܝܢ ܢܦܫܗ: ܗ̇″. ܕܒܬܪ ܕܐܬܬܠܒܒܘ ܘܐܬܓܠܝܘ ܠܪܘܫܥܐ. ܘܒܠܚܘܕ *ܐܡܪ ܕܡܢܝܢ ܢܦܫܗ܀ ܐܠܐ ܠܐ 61 v. ܐܬܬܝܗܒܘ ܡܢܝܢ: ܗ̇″. ܕܠܘ ܐܚܝܕܬܐ ܢܛܠܩܘܢ܆ ܐܠܐ ܐܝܟ ܡܦܩܢܐ ܕܠܘܬܗ ܐܬܓܠܝܘ܀

